



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Liber II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

ARNOLDI CORVINI
 à BELDEREN J. U. D.
JUS CANONICUM,
 PER
APHORISMOS
strictim
EXPLICATUM.
 LIBER SECUNDUS.

De rerum divisione.

TITULUS I.



In libro præcedente explicavimus jus Personarum Ecclesiasticarum: transeamus nunc ad rerum Ecclesiasticarum explicationem.

Æ sunt vel *Spirituales*, vel *Temporales*.
Spirituales sunt, quæ spiritui inserviunt, atque animæ causâ sunt institutæ. *Lancelot. in Inst. hic.*

Sunt vel *Corporales*, quæ tangi & humanis sensibus percipi possunt; ut sunt *Sacramenta, res sacra, sancta, religiosa*: vel *Incorporales*, quæ neque tangi, neque sensu corporeo percipi possunt; *quales sunt, virtutes & dona Dei, & ea quæ in jure consistunt; ut beneficia, patronatus, decimarum exactio, canonica portio, immunitas.*

Temporales sunt, quæ non tam spiritus, quam corporis gratiâ pro Ecclesiasticis ministeriis, sacrorumque Ministrorum usu sunt comparatæ; *ut sunt prædia, domus, fructus decimales.*

De his omnibus hoc libro tractabimus; & primum de *Sacramentis novæ Legis.*

D

De

De Sacramentis in genere.

T I T. II.

Sacramenta (ut definit Augustinus) sunt invisibilis gratiæ visibiles formæ. *c. sacrificium. 32. dist. 2. de consecrat. vid. August. de civit. Dei. c. 5. & libro de catechisand. rudib. cap. 20. & Epist. 166.*

Sunt septem: 1. *Baptismus.* 2. *Confirmatio.* 3. *Eucharistia.* 4. *Pœnitentia.* 5. *Ordo sacer.* 6. *Matrimonium.* 7. *Extrema Unctio.*

Ex iis alia sunt *Necessaria*, quæ sine dispendio salutis æternæ suo tempore prætermitti non possunt: alia sunt *Voluntaria*, quæ sine æternæ salutis periculo quilibet potest accipere, vel omittere.

Necessaria sunt quinque; *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Pœnitentia*, & *Extrema Unctio*. *Voluntaria* duo; *Ordo sacer*, & *Matrimonium*. *c. veniens. 8. & ibi Gl. in verb. Necessaria. de transact. c. 39. remissionem. in fin. qu. 1.*

Omnia, quod ad statum Ecclesiæ universum pertinet, sunt *Necessaria*; *Baptismus*, Sacramentum intrantium; *c. nulla præter. 142. de consecrat. dist. 4.* *Confirmatio* ad robur pugnantium; *c. un. §. per frontis. de Sacr. unct. & c. Spiritus Sanctus. 2. de consecrat. dist. 5.* *Eucharistia*, ad viaticum saluberrimum progredientium; *c. 7. qu. recedunt. & c. 9. de his. 26. qu. 6.* *Pœnitentia*, redeuntium; *c. 4. his qui. 26. qu. 7. c. 2. §. 2. de pœnit. dist. 3. & respicientium*; *Extrema unctio*, ex hoc seculo exeuntium; *c. 1. ab infirmis. 26. qu. 7.* *Ordo*, divinis deservientium; *c. Cleros. dist. 21.* *Matrimonium*, generantium. *c. 10. omne. 27. qu. 2.*

Rursus alia Sacramenta *characterem*, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, in anima imprimunt; proinde iterari non possunt: ut *Baptismus*, *c. à quodam. 24. c. si qui. 28. c. quamvis. 29. c. ostenditur. 32. c. hi de quibus. 38. c. si ve. 51. c. non licet. 107. cum cc. seqq. de consecrat. dist. 4.* *Confirmatio*, *c. dictum est nobis. 8. & c. seq. de consecrat. dist. 5.* *Ordo sacer*, *d. c. non licet. 107. c. 1. & c. ult.*

ult. de sacram. non iterand. Alia nullum characterem imprimunt, ideoque possunt iterari: ut Eucharistia, *c. quotidie. 13. & c. seq. de consecrat. dist. 2.* Matrimonium, *c. aperiant. 11. & cc. seqq. 31. qu. 1.* Extrema unctio. *Mag. sentent. lib. 4. dist. 23. sect. 3.*

In pœnitentia distinguitur; quia non Sollemnis iteratur. *c. omnis. 12. de pœnit. Sollemnis non iteratur. c. si quis post. 61. §. potest. dist. 50.* Nisi contraria sit Ecclesiæ consuetudo. *c. nihil. 21. §. ex persona. de pœnitent. dist. 3.*

Sacramenta efficaciam habent à Spiritu Sancto, non à ministro qui ea præbet. *c. multi. 84. c. ita fit. 81. cum 4. seq. 1. qu. 1.* cujus malitiâ inquinari nequeunt. *c. remissionem. 39. c. non nocet. 89. caus. 1. qu. 1.*

Unde collata ab Hæretico, Simoniaco, si observata Ecclesiastica forma, virtute suâ non privantur, *c. secundum. 18. dist. 19. c. quod quidam. 97. cum 3. seqq. & c. 29. sicut. 1. qu. 1.* potissimum quod ad characterem, non quod ad executionem pertinet. *c. præter hoc. 6. §. porro. 32. dist. c. 108. si qui à simoniacis. 1. qu. 1.* Carent virtute omni, si ea forma non observata. *c. hi qui. 51. §. sed notandum. 1. qu. 1.*

Sacramentorum ministri legitimi sunt illi qui parochiis sunt præfecti, ubi degunt illi quibus danda; alii generali jure minimè. *c. 10. interdiximus. 16. qu. 1. c. 2. & 3. de paroch. c. 1. de sepultur. c. omnis utriusque. 12. de pœnitent.*

Qui baptismum, eucharistiam & extremam unctionem adhibent, pœnitentiam & matrimonium benedicunt, debent esse Presbyteri; *Hostiens. in sum. de sacram. non iterand. §. quis possit conferre.* qui confirmant & ordinant, Episcopi. *c. un. §. 4. de sacr. unct. c. de his. 3. cum c. seq. de consecrat. dist. 5. c. cum. 10. ubi Gl. de atat. & qualitat.*

De singulis videamus; & primum de Baptismo, qui reliquis omnibus janua est. *c. veniens. 3. de Presb. non baptiz. Gl. in c. 1. de consecrat. dist. 4.*

De Baptismo.

T I T. III.

Baptismus, est exterior hominis ablutio cum certa verborum forma; non tantum labem origine contractam, *Gloss. in c. 1. de consecrat. dist. 4.* sed & propriam voluntate susceptam, delens. *c. regenerante. 136. ubi Gloss. de consecrat. dist. 4.*

Unde hujus Sacramenti substantia consistit in verbo & elemento, adeo ut is in quo non solum utrumque, sed eorum alterum omissum est, verum non habeat baptismum: *c. pen. hic. cætera ad solennitatem ejus pertinent. sec. Magist. sent. lib. 4. dist. 3. sect. 1.*

Verba sunt ex Christi instituto, *Matth. 28. & Ioh. 6. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. c. propriè. 13. c. si quis Presbyter. 19. c. multi. 82. de consecrat. dist. 4.*

Quæ si per ignorantiam recti sermonis, aut per linguæ impedimentum, non rectè pronuncientur, baptismi veritati non obest. *c. retulerunt. 86. c. si non. 72. de consecr. dist. 4.*

Solennitates, ab Ecclesia introductæ: sunt immersionis in aquam numerus, exorcismi Clericorum, exsufflationes, salis benedicti exhibitio, salivæ contactus, inunctio, preces: *c. sive parvuli. 53. c. postquam. 61. cum 9 cc. seqq. de consecrat. dist. 4.*

Quæ solennitates, in casu necessitatis, ut cum quis, qui in discrimine vitæ est, baptizandus, non observantur; sed sufficit una vel trina pro more regionis aquæ immersio, seu ablutio, vel aspersio cum aqua, cum prolatione solennium verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. c. propter vitandum. 85. ubi Gloss. c. propriè. 13. c. de trina. 80. de consecrat. dist. 4. Cucchus in Instit. hoc tit.*

Aqua debet esse vera & naturalis; non interest frigida sit, vel calida: modo non sit fictitia, qualis rosacea, muscata, & aliæ similes. *sec. Concil. Florent.*

Hæc

Hæc omnia intellige de Baptismo propriè dicto; quem vocant *Baptismus fluminis*: alii sunt Baptismi metaphoricè dicti, nempe *flaminis & sanguinis*. *c. Baptismi*. 34. *c. catechumenum*. 37. *de consecrat. dist. 4. Gl. in c. 1. ead. dist.*

Flaminis Baptismus est, quando quis per Spiritum Sanctum mundatur, dum fidem suam coram persecutore confitetur, & dum justo errore ductus, credit se fuisse baptizatum. *c. Baptismi vicem*. 4. *de consecrat. dist. 4. c. 2. de Presbyt. non baptizat.*

Hoc Baptismo baptizatos fuisse Apostolos & Discipulos, tradit Cyrillus Hierosolymitanus: *catech. 3. 12. 17. & Actuum 2. Baptismo fluminis*, Tertullianus *lib. de Baptismo. c. 13. c. quando*. 147. *& c. seq. de consecrat. dist. 4.*

Hoc idem operatur, quod Baptismus fluminis; puta liberationem à peccatis originalibus & actualibus; *c. regenerante*. 136. *c. parvuli*. 138. *de consecrat. dist. 4. si quidem fluminis Baptismus non per contemptum, sed necessitate, sit omissus. d. c. Baptismi vicem*. 34.

Sanguinis Baptismus est, cum quis animam cum sanguine ob Christum effudit, priusquam baptizari posset. Qualis latronis in cruce, & Sanctorum Innocentium. *d. c. Baptismi*. 34. *d. c. catechumenum*. 37.

Baptizari possunt baptismo fluminis & sanguinis parvuli, sed jam nati, *c. qui in maternis*. 115. *de consecr. dist. 4. non Baptismo flaminis; Abb. in c. 2. de Presbyt. non baptiz.* omnibus adulti; licet sint muti, surdi, ægrotantes, *c. parvuli alio*. 74. *& c. seq. de consecr. dist. 4. Judæi, pœnitentiâ tamen & abstinentiâ quadraginta dierum per eos actâ; c. ne, quod absit*. 88. *dist. ead. Non dormientes, amentes: c. majores*. 3. *§. sed adhuc. hic. nisi ante somnum, vel amentiam, voluerint baptizari. d. c. majores. §. item quaritur.*

Si quidem tamen pro parvulis, ægris, mutis, surdis, cum pro se respondere nequeant, alii profiteantur. *d. c. parvuli*. 74.

Baptizandos Baptismo præsentare possunt, tempore necessitatis omnes fideles; aliàs omnes, qui, ne patres lustrici seu spirituales, seu, ut dicunt, patrimi sint, non prohibentur.

Prohibentur Abbates, Monachi, Moniales, & aliæ personæ religiosæ. *c. non licet. 103. de consecr. dist. 4. c. 8. placuit. cau. 16. qu. 1. 2.* qui non sunt baptizati nec confirmati; *c. in Baptismate. 102. de consecr. dist. 4. parentes. d. c. non liceat. 103.*

Non debent de jure communi plures esse quàm unus vir, aut una mulier, *c. non plures. 101. eod. c. fin. de cognat. spirit. in 6.* vel duo ad summum, vir & mulier; *Concil. Trident. 8. sess. c. 2. reformat.* Plures tamen si adsunt, & illi cognationem, quæ ex susceptione vel præsentatione nascitur, contrahunt. *d. c. fin.*

Baptizari debet in Ecclesia, per proprios Sacerdotes; *c. diaconos. 13. dist. 93. c. constat. 19. de consecrat. dist. 4.* non in Abbatia, monasteriis, ubi baptisteria esse prohibentur; *c. 7. pridem. 18. qu. 2.* nec in privatis ædibus; nisi extrema urgeat necessitas.

Quâ etiam urgente, quilibet; etiam Laicus, Hæreticus, Paganus, Judæus, *c. Romanus. 23. de consecrat. dist. 4. c. dictum est à Dio. 96. §. quod verò. cum 2. cc. seqq. 1. qu. 1.* pater qui baptizandum generavit, *c. 17. ad limina. 30. qu. 1.* baptizare potest; dummodo debitâ materiâ, formâ, & intentione utatur. *c. secundum. 8. dist. 19. c. si inter. 25. cum seq. de consecrat. dist. 4.*

Se ipsum tamen, quantumvis materiam & formam servet, nemo baptizare potest; *c. debitum. 4. de baptism.* licet in mortis articulo sit constitutus; quamvis, si statim decesserit, non propter fidei sacramentum, sed sacramenti fidem, salvus fiat, *d. c. debitum. 4.*

Presbyter cujus negligentia commissum, ut sine baptismo æger decederet, est deponendus. *c. quicumque Presbyter. 22. de consecrat. dist. 4.*

Baptizatus semel, iterum baptizari nequit; si tamen de

eo dubitatur; poterit baptismus iterum conferri hujusmodi verbis: *Si baptizatus es, te non rebaptizo. sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. c. 2. de baptismo.*

Quo baptismo, priori, quo, licet de eo non constet, baptizatus, nihil accedit; neque alius character imprimitur. *c. Presbyteri. §. quod ergo. ad fin. dist. 68. Gloss. in d. c. 2. verb. rebaptizo.*

De Confirmatione.

T I T. IV.

Post Baptismum, confertur *Sacramentum Confirmationis*; sine quo homo non potest bene esse: per illud enim accipit Spiritum Sanctum, adversus impetus Dæmonum, & aliorum. *c. Spiritus Sanctus. 2. & c. novissimè. 5. de consecr. dist. 5.*

Hoc & Baptismus ita duo conjuncta sunt Sacramenta, ut ab invicem, nisi morte præveniente, à Christiano nullatenus separari, & unum sine altero ritè perfici non possit. *c. 3. de his verò super quibus. de consecrat. dist. 5.*

Intellige hæc in adulto, qui hoc Sacramentum contemnens peccat mortaliter; pueris decedentibus sufficit baptismus. *Gl. ad c. 1. ad verb. ut pleni. & Gl. fin. ad c. 3. ad verbum perfici. de consecrat. dist. 5.*

Est *Confirmatio* inunctio in fronte, quæ per Episcopum fit sacro chrismate, manus impositionem designans, *c. unde de sacra unct. adhibitis his verbis, ut ex libris Pontifical. refert Ang. de Clavasio, in verb. confirmationis. §. 9. Ego te consigno signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Fieri potest omni tempore; *arg. c. omnes fideles. 1. c. de his. 13. c. ut jejuni. 16. cum seq. de consecrat. dist. 5.*

Confirmans debet esse jejunus, *c. ut Episcopi. 7. ead. dist. 5. & Episcopus, c. de his. & c. seq. de consecr. dist. 5. nisi ei summus Pontifex hoc munus mandaverit: Gloss. in c. ma-*

nus quoque. 4. verb. irritum. de consecr. dist. 5. confir-
mandus, excedere septennium; & esse confessus & jeju-
nus; nisi sit infirmus & in tenui discrimine leti positus. d.
c. ut Episcopi. 7. d. c. ut jejuni. 16.

Huic & patrimi adesse debent; *Tholos. in synt. jur. univ.*
hoc tit. num. 3. sed alii quam qui fuere in Baptismo; nisi
necessitas urgeat. c. in catechismo. 100. de consecrat. dist. 4.

Si esse nequeunt; qui non baptizati, *c. in Baptismate. 102.*
eod. vitricus in confirmatione privigni, c. de his. 30. qu. 1.
conjunx in conjugis. c. 1. de cogn. spirit. in 6.

Fieri potest confirmatio omni tempore: solet in Pen-
 tecoste. *Sylvest. verb. confirmat. 5. ver. & quarta potest.*

De Eucharistia.

T I T. V.

Eucharistia (dicta quasi bona gratia vel gratiarum a-
 ctio, *can. multi. 84. §. Sacramentum. 1. qu. 1.*) est
 participatio corporis & sanguinis Christi sub speciebus pa-
 nis & vini, vi illorum verborum, *Hoc est corpus meum, &*
hic est sanguis meus. d. c. multi. & c. cum Martha. 6. §. qua-
sivisti. de celebrat. Missar. c. species. 33. c. Ego Berengarius.
42. de consecrat. dist. 2.

Tria, à se invicem discreta, continet: formam visibilem
 panis & vini, veritatem carnis & sanguinis, & virtutem
 spiritualem: primum est sacramentum, non res sacramen-
 ti; secundum est sacramentum, & res; tertium est res, non
 sacramentum. *d. c. cum Martha. 6. §. distinguendum. de*
celebr. Miss.

Sed Eucharistia, quatenus viam præbet perveniendi ad
 futuram Dei fruitionem in patria cælesti, propriè dicitur
Viaticum; quatenus civitatem Ecclesiæ, quia per eam com-
 municamus Christo & unimur ad invicem, significat, voca-
 tur Græcè *Synaxis*, Latine *Communio*; in quantum Domi-
 nica passio per hoc sacramentum offertur, dicitur *Sacrifi-*
cium, vel *Missa. Pac. Isag. Decret. tit. de sacram. non iterand.*

Fit

Fit Sacramentum Eucharistiæ ex simila, id est, pura farina tritici, *c. non oportet. 4. c. in sacramento. 5. de consecr. dist. 2.* eaque azymo, *c. fin. de celebr. Miss.* & vino vitis, aquâ mixto; quæ species transsubstantiantur in corpus & sanguinem Domini; *c. in quadam. 8. de celebr. Miss. c. non oportet. c. in sacramento. c. omnia. 74. de consecrat. dist. 2.* in prolatione verborum sacramentalium, virtute divinâ, *c. quia corpus. c. panis est. 55. c. revera. 69. de consecr. dist. 3.*

Miscetur aqua vino, ita tamen, ut plus vini sit in calice quam aquæ, *c. pen. de celebr. Missar. c. in quadam. 8. eod.* ut declaretur hypostasis duarum naturarum, divinæ & humanæ, in Christo. *Niceph. Calixt. lib. 18. cap. 58. ex quo Tholosan. in syntagm. jur. univ. lib. 2. cap. 5. num. 3.* alias rationes vid. *c. in calicem. 83. de consecr. dist. 2.*

Conficiunt hoc sacramentum, proferendo hæc verba: *Hoc est corpus meum, &c. & Hic est sanguis meus, &c.* Sacerdotes; *c. quid sit. 73. de consecrat. dist. 2.* qui non sunt irregulares, interdicti, suspensi, excommunicati, simoniaci, schismatici, notorii peccatores, degradati; Nisi tales hoc in debita materia, cum debita intentione & forma, fecerint. *c. multi. 84. caus. 1. qu. 1.*

Qui etiam illud ministrare debent, *c. per lectis. 1. dist. 25. c. diaconos. 13. c. pervenit. 21. c. presente. 18. dist. 93.* per se, ni velint degradari; *c. pervenit. 29. de consecrat. dist. 2.* non, nisi subsit necessitas, *d. c. presente. 18.* per alium.

Exhibent omnibus utriusque sexus; dummodo ætatis sint legitimæ, *c. omnis. 12. de poen. & remiss.* & sint ex exhibentis parochia, *Clem. religiosi. de privil.* nec prohibeantur.

Ætas, ad communicandum sacramentaliter, legitima dicitur, quæ iudicium habet distinguendi & dijudicandi sacramentum hoc corporis & sanguinis Domini ab alio cibo quotidiano, seque probandi. *Paul. 1. ad Corinth. 11. vers. 28. cum seqq.*

Prohibentur communicare, qui publicè scelestissimè deliquerunt.

liquerunt ; *c. in actione*. 84. *de pœn. dist. 1.* scenici & histriones, *c. pro dilectione*. 95. *c. seq. de consecrat. dist. 2.* raptores rerum Ecclesiæ ; *c. 21. indignè*. 12. *qu. 2. c. 21. quisquis*. 17. *qu. 4.* nauseam vel vomitum patientes, *c. si per ebrietatem*. 28. *de consecrat. dist. 2.* nocte hosternâ, ex nimia crapula, vel cogitatione immunda, polluti, *c. testamentum*. 1. & *can. non est*. 3. *dist. 6.* infideles, *c. quia passus*. 36. *c. quid est*. 46. *c. dupliciter*. 49. *de consecr. dist. 9.* notoriè impœnitentes, *d. c. pro dilectione*. 95. *c. 12. placuit*. 23. *qu. 5.* excommunicati, interdicti, *c. si non sunt*. 15. *de consecr. dist. 2.* hæretici, *c. pen. & fin.* 24. *qu. 1.* dum tales sunt.

Morientibus, si pœniteant, non denegandum hoc Sacramentum, *c. pœnitentes*. 63. *dist. 50. c. 25. virgines*. 27. *qu. 1. c. 42. si quis hæretica*. 1. *qu. 1. c. 7. in primis*. 2. *qu. 1. c. 6. si quis de corpore*. & *seq. 26. qu. 6.* etiam si excommunicati sint, dummodo satisfecerint, *c. tanta*. 24. *dist. 86.*

Qui hoc salutiferè volunt suscipere, necesse ut confiteantur peccata, & injunctam impleant pœnitentiam, hoc est, se probent, num dignè & devotè accedant, & reverenter ; *sec. S. Paul. 1. ad Corinth. 11. vers. 28.* sint jejuni ; *c. liquido*. 54. *de consecr. dist. 3. c. 16. nihil*. 7. *qu. 1. c. ex parte*. 5. *de celebr. Miss.* (excipiuntur infirmi ; *c. Presbyter*. 93. *de consecr. dist. 2.*) à Venere, *c. omnis homo*. 21. *eod. c. 5. sciatis*. 33. *qu. 4.* pollutione nocturnâ externâ, & cui consenserint, alieni, *c. testamentum*. 1. & *c. non est*. 3. *dist. 6.*

Semel tantum in die, ni mortiferum crimen velit contrahere, tam Clericus, quàm Laïcus, Eucharistiam sumere debet. *c. sufficit*. 13. *de consecr. dist. 1. c. consulisti*. 3. *de celebr. Miss.*

Suscipienda, in tribus festivitibus præcipuis, Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, *c. et si non frequentius*. 16. *c. seculares*. 19. *de consecrat. dist. 2.* vel saltem in festo Paschatis. *c. omnis utriusque*. 12. *de pœnitent. & remiss.* Semel in anno à seculari, à monachis aut à monialibus singulis quibusque mensibus, *Clem. ne in agro*. 1. §. *sanè. de statu*

statu monach. Concil. Trident. 20. sess. 25. alioquin Ecclesiæ ingressu viventes, Ecclesiasticâ sepulturâ defuncti, prohibentur. Nisi proprii Sacerdotis consilio legitima de causa id distulerint. *d. c. omnis utriusque. 12.*

Hoc Sacramentum sumunt non tantùm Laici & Sacerdotes (ut dictum), sed & Sacerdotes per se ipsi, dum *Missam* celebrant.

Sed illis tantùm porrigitur sub specie panis: Hi sub utraque panis & vini mixtâ aquâ communicant. *c. literas. 14. de celebr. Miss. Concil. Constant. sess. 13. Trid. sess. cap. 3.*

Qui communicavit, si eucharistiam ebrietate vel voracitate evomat, si laicus, quadraginta diebus; si monachus, Clericus, Diaconus, Presbyter, septuaginta; si Episcopus, nonaginta pœnitere jubetur. *c. si per ebrietatem. 28. de consecrat. dist. 2.* qui infirmitate id fecit, septem diebus tantum pœnitentiam agere debet. *d. c. si per ebrietatem. 28.*

De Missa.

TIT. VI.

Missa, est sacrificium incruentum sacrosancti corporis & sanguinis Domini, quod offertur in Altari, cum precibus consuetis & lectione Evangelii, aliisque: de quibus postea. *tot tit. de celebr. Miss.*

Est varia; non ratione Sacramenti, *can. relatum est. 11. de consecrat. dist. 2.* sed vel *solemnitatis*; sic alia cantatur altâ, alia voce summissâ; *c. cum creatura. 11. de celebr. Missar. vel temporis*; sic alia fit quotidie, *c. sufficit. 53. de consecrat. dist. 1.* alia die feriatâ: *d. can. cum creatura. 11.* vel eorum *pro quibus offertur*; alia enim offertur pro vivis, *c. de nominibus. 72. de consecrat. dist. 1.* ut agrotis, peregrinis, afflictis, amicis, &c. *c. 2. c. cum creatura. 11. de celebr. Missar. can. 22. anima defunctorum. can. 19. non estimemus. 13. qu. 2.* alia pro mortuis; *c. 2. c. concilium nostrum. 4. dict. tit. can. cum inter. 29. de verb. signif. vel eorum,*

eorum, *in quorum honorem offertur*. sic alia de Spiritu Sancto, alia de Sanctissima Trinitate, alia de beata Virgine Maria, *c. significatum est*. 11. *de prabend. d. c. concilium nostrum*. 4. dicitur.

Missæ partes vel sunt *Essentiales*, vel *Accidentales*.

Illæ sunt, consecratio corporis & sanguinis Christi, & oblatio.

Hæ sunt ceremoniæ, quibus consecratio ipsa & oblatio ritè perficiuntur; ut sunt, orationes, gratiarum actiones, benedictiones, oscula, manuum expansiones, elevationes, complicationes, genuflexiones; crucis signacula, communio, fractio hostiæ in tres partes, memoriæ Sanctorum, salutationes, responsiones, oblationes; & alia his similia. *c. vestimenta*. 42. *de consecrat. dist. 1. c. Ecclesiastica*. 9. *dist. 23. can. cantantes*. 1. §. *ab officio. dist. 92. can. in Sacramento*. 5. *c. singulis*. 77. *c. utrum*. 72. *c. pacem*. 9. *de consecr. dist. 2. c. de hymnis*. 54. *c. hoc quoque*. 61. *c. quando*. 70. *c. Missas*. 64. *de consecr. dist. 1. c. 30. non omnis*. 2. *qu. 7.*

Missam celebrare possunt tantum Presbyteri; *c. 1. & 2. de cler. non ord. c. 1. & hoc utique. de sum. Trin.* sed non sine peccato si depositi, excommunicati, interdicti, suspensi, *c. 1. & 5. seqq. & pen. de cler. excom. minist. publici concubinari, c. vestra*. 7. *& c. fin. de cohabit. cleric. & mulier. can. prater hoc. dist. 32.*

Non possunt, quibus duo digiti cum medietate palmæ manus abscissi, *c. 2. de cleric. egrot. leprosi, c. 3. & 4. eod. hæretici, c. fertur*. 28. *cum seqq. 1. qu. 1. simoniaci, c. tanta*. 7. §. *item omnis. c. quoties*. 5. *de simonia*. qui cum muliere rem habuerunt. *c. 1. cum 6. seqq. 31. qu. 4.* in somniis, ex animi consensu & culpa accedente, se polluerint, donec se purgaverint. *tot. dist. 6.*

Qui possunt, id debent, quantum frequentius poterunt, facere; *c. significatum*. 11. *de prabend.* sed (si iusta causa urgens non subsit; *c. consuluisti*. 3. *ubi Gloss. de celebr. Miss.*) semel tantum quisque Sacerdos in die; *c. sufficit*. 53. *de consecrat. dist. 1.* Excepto die Nativitatis Dominicæ, quo

quo tres dicit; priorem media nocte, alteram in aurora, tertiam horâ debitâ. *d. c. sufficit.* 53. *c. 3. & 5. de celebr. Miss. c. nocte sanctâ.* 48. *de consecrat. dist. 1.*

Ea est tertia, hoc est, nona ante meridiem. *can. & hoc attendendum.* 12. *eod. dist. 1.*

Celebrare debet Sacerdos, confessus, *c. quotidie.* 13. *eod. dist. 2. jejunos. c. sacramenta.* 49. *eod. dist. 1. can. nihil.* 16. *vers. nullus.* 7. *qu. 1.* (aliter excommunicationi, *d. c. nihil.* 16. *c. si constiterit.* 12. *de accusat. & de positioni beneficiorum, c. ex parte. de celeb. Miss. subjacet,) accenso lumine, *c. fin. eod.* consuetis vestimentis, amictu, albâ, cingulo, manipulo, stolâ, casulâ, indutus. *arg. c. Ecclesiastica. dist. 23. c. 65. Episcopus.* 11. *qu. 3. c. degradatio.* 2. *de poen. in 6. in sacro altari, c. 1. in princ. c. 2. §. si enim. can. sicut non alii.* 6. *& can. Missarum.* 12. *c. nullus Presbyter.* 15. *de consecr. dist. 1. licet portatili, c. fin. de privil. in 6. modò eo die Episcopus in eo Missam non fecerit. c. fin. de consecr. dist. 2. duobus præsentibus sibi que respondentibus. can. hoc quoque.* 16. *eod. dist. 1. Hostiens. §. qualiter. vers. nec solus. hoc tit. in Summa.**

Consecrare debet Sacerdos sanguinem Domini, in vasculis, seu calicibus aureis, argenteis aut stanneis, *c. ut calix.* 45. *de consecrat. dist. 1. non ligneis, vitreis, aut cereis: can. vasa.* 44. *eod. dist. 1. c. fin. de celebr. Miss. & quidem super lineo panno ab Episcopo consecrato. can. consulto.* 46. *de consecr. dist. 1. corporale vocant.*

Missas, saltem Dominicis & festivis diebus, quilibet debet audire in sua parochia; *c. 2. de paroch. & parochian. ex integro, donec sit finita, c. Missas.* 64. *de consecrat. dist. 1. benedictio data. can. omnes fideles.* 62. *& can. cum ad celebrandas.* 65. *eod. d. dist.* Nisi sit excommunicatus, aut interdictus, qui non admittitur. *can. in Lateranensi.* 31. *verb. nec excommunicatos. de præbend. c. cum & plantare.* 3. *§. excommunicatos. de privileg. sed ab ostiariis rejicitur. can. clericos. in fin. dist. 21. can. perlectis. 1. dist. 23.*

De Pœnitentiis & remissionibus.

T I T. VII.

POENitentia, in peccatis retractandis, est vindicta in se, quod dolet commisisse, puniens. *c. 4. de pœnit. dist. 3. can. pœnitentiam agere. 6. dist. ead.*

Est vel *interna*; quæ est virtus mentis: vel *externa*; quæ est Sacramentum. *Mag. sent. lib. 4. dist. 14. sect. 1.*

Hæc definitur, signum sensibile, seu imago rei sacræ, videlicet remissionis peccatorum, per sensibilem contritionem, confessionem & absolutionem. *Tholos. in syntagm. jur. univ. lib. 2. cap. 1. & in partit. Iur. Canon. lib. 1. tit. 10. cap. 2.*

Quæ vel *Publica*, imponitur manifestis peccatis: vel *Privata* sive *Occulta*, imponitur peccatis arcanis. *c. accedentibus. 12. de excessib. Pralat. c. 1. & c. questum. 7. hic.*

Publica, est aut *Solemnis*, aut *non Solemnis*. *c. si quis post. 61. vers. potest. dist. 50.*

Solemnis incipit in capite quadragesimæ; imponitur ab Episcopo, *c. pœnitentes. 63. in cap. 64. dist. 50. d. c. accedentibus. c. fin. 26. qu. 6. semel. c. si quis post remissionem. 61. vers. potest. dist. 50.* (nisi alia sit Ecclesiarum consuetudo. *c. nihil prodest. §. ex persona. de pœnit. dist. 3.*) pro maximis criminibus publicis: *c. in actione. 84. eod. dist. 1. certis observatis solennitatibus. de quibus in d. c. pœnitentes. 63. & in d. c. in capite. 64.*

Quibus ea imposita, non possunt communicare, nisi in articulo mortis; *c. si quis. 6. cum 3. seqq. 26. qu. 6. nec secularem militiam, vel pompam exercere; c. contrarium. 3. de pœnit. dist. 5. can. fin. dist. 50.* non in curia seculari accusare, *c. aliud. 65. eod. dist. 1.* matrimonio jungi, *c. 13. audivimus. 33. qu. 2.* ad sacros ordines promoveri. *c. ex pœnitentibus. 55. dist. 50.*

Non Solemnis, imponitur à Sacerdote, *d. c. pœnitentes. d. c.*

d. c. accedentibus. c. statuimus. 2. de maledicis. publicè, puta ante fores Ecclesiæ cum face seu teda ardente, & aliis solennitatibus; extra tempus quadragesimæ. c. 1. de pœnit. & remiss. c. 19. si peccaverit. 2. qu. 1. c. ego Berengarius. 42. de consecr. dist. 2. d. c. statuimus.

Privata pœnitentia est, quæ in occulto fit, Deo & Sacerdoti; qui eam imponit, etiam pro peccatis gravioribus, sed occultis. c. quesitum. 7. hic.

Occulta enim peccata publicè non sunt punienda. c. 19. si peccaverit. 2. qu. 1. can. 31. si quis potestatem. 23. qu. 4.

Impositio pœnitentiæ est arbitraria; secundum enim peccatorum circumstantiam pœna imponenda, c. 3. de pœn. c. 12. si quis. 15. qu. 1. c. fin. 33. qu. 5. c. 1. de pœnit. dist. 2. adhibitâ contritionis pœnitentis, & qualitatis sexus, & ætatis delinquentis, consideratione, c. Deus qui Ecclesiam. 8. hic. c. 2. tempora. 26. qu. 7. c. 25. de pœnit. de consecr. dist. 3. c. in actione. 84. de pœnit. dist. 1.

Nonnullis tamen peccatis, certa & particularis pœnitentia à Canonibus imposita; c. mensuram. 86. de pœn. dist. 1. ut quindecim annorum fornicanti cum filia spiritali, c. 19. si quis Sacerdos. 30. qu. 1. decennii matricidæ, c. 15. latorem. 33. qu. 2. & fornicanti religioso, vel moniali, c. 27. devotam. 27. qu. 1. septennii inavori Ecclesiæ, c. 17. de viro. 12. qu. 2. committenti incestum, c. 2. si pater. 30. qu. 4. uxoricidium, c. 8. admonere. 33. qu. 2. homicidium, adulterium, perjurium; c. pradicandum. fin. 22. qu. 1. quodlibet peccatum mortale. c. 11. hoc ipsum. 33. qu. 2.

Constat Sacramentum pœnitentiæ, vide. Gl. 1. 2. & 3. in princ. de pœnit. dist. 1. & can. perfecta. 48. de pœnit. dist. 1. & c. perfecta. 8. eod. dist. 3. quatuor partibus: cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione, d. c. perfecta. 48. de pœnit. dist. 1. & peccati absolutione.

Satis

Satisfactio confessione disponitur: ex confessione pœnitentia nascitur: ex pœnitentia Dei mitigatio. *Tertull. lib. de pœnit.*

Est *contritio cordis*, interna afflictio, & peccati commissi detestatio, cum emendationis proposito, & dolore & pudore. *c. porro. 31. c. facilius. 32. c. quis aliquando. 37. c. quem pœnitet. 88. de pœnit. dist. 1.*

Eam sequi debet, alioqui nihil efficit, *can. voluissent. 60. §. ex his. can. mensuram. 86. §. 1. & 2. c. quis aliquando. 88. eod. dist. 1. Confessio*; id est, peccati proprii per os proprium detectio.

Fit, vel *publicè* coram omnibus, vel *privatim* Deo, & Sacerdoti; *c. quidam. 90. de pœnit. dist. 1.* cui absolvendi peccata & retinendi potestas data, *c. nova. 8. de pœn. & remiss.* sed proprio, seu paroco: *c. omnis utriusque. 12. c. quod autem. 4. eod. c. Sacerdos. 2. §. fin. de pœnit. dist. 6.* non alii, nisi de ejus licentia electo, *d. c. omnis. c. placuit. 3. de pœnit. dist. 6.* aut ex facultate ab Episcopo data. *c. 2. de pœnit. in 6.*

In casu tamen necessitatis, & morte urgente, si Presbyter haberi non possit, & alteri, *c. 12. si Presbyter. c. 13. agnovimus. 26. qu. 6.* etiam laico & socio confiteri licet. *c. qui vult confiteri. 1. de pœnit. dist. 6. c. quem pœnit. 83. de pœnit. dist. 1. ubi ratio.*

Confiteri debet linguâ cordis, non carnis; *can. qualis debeat. 4. in fin. & ibi Gloss. 30. qu. 5.* potest & scripto, qui præsens, non qui absens. *can. quem pœnitet. 83. de pœnit. dist. 1.*

Utroque modo aperire debet peccata mortalia omnia, & singula; venialia, citra culpam, potest tacere: *Gloss. c. omnis utriusque. 12. hic.* quia ea orationis Dominicæ recitatione, aquæ benedictæ aspersione, generali confessione, Eucharistæ devotâ sumptione, *d. c. omnis utriusque. 12. c. de quotidianis. 20. de pœnit. dist. 2. d. c. qui vult. 8. c. aquam. 20. de consecrat. dist. 3. jejniis, eleemosynis, & Medicina. 76. & c. quam ob rem. 68. de pœnit. dist. 1. devotâ*

devotâ pectoris percussione, *c. tres sunt. 81. eod. dist. 1. & c. si enim. 40. eod. dist. 2. extremâ unctione, c. un. §. fin. de sacr. unct. Episcopali benedictione, c. 96. dictum. 1. qu. 1. Hostiens. in sum. hoc tit. §. de quibus. possunt expiari.*

Cui confessio facta, commissa non debet prodere; ni Sacerdotio velit deponi, intra arctum monasterium, ad agenda perpetuam pœnitentiam, concludi. *d. c. omnis utriusque. 12. §. fin.*

Confessione factâ, Sacerdos imponit, secundum qualitatem delicti, *Satisfactionem. c. 8. quia tum fraternitas. 12. qu. 1. c. falsas. 61. de pœnit. dist. 5.*

Satisfacit peccator, cum pœnam impositam factis exequitur. *c. facilius. 32. ead. dist. 3.*

Satisfactione peractâ fit delinquentis *Absolutio, Clem. dudum. 2. de sepult. & Ecclesiæ reconciliatio. c. qui egerit. 3. & seq. eod. dist. 7.*

Ea fit his verbis; *Absolvo te à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: præmissa oratione, Misereatur tui, &c. can. verbum Dei. 51. eod. dist. 1.*

Absolvit non omnis Sacerdos, de omnibus peccatis, sed in casibus tantum sibi commissis, nec aliis per Canones reservatis. *Clem. 1. §. quibus. vers. nec etiam. de privileg. c. 1 dist. 20. c. quanto. 4. de consuet. c. canonica. 50. c. mulieres. 6. de sentent. & excomm.*

De Indulgentiis.

TIT. VIII.

PŒna tamen pœnitenti imposita aliquando *Indulgentiis* remittitur. *c. fin. 2. qu. 3. c. fin. ut lite pendent. c. dudum. 31. de privileg.*

Sunt *Indulgentia*, pœnitentiæ moderationes, cum peccatorum remissione; auctoritate pleniori, vel sine retentione, vel cum aliquorum retentione, certo tempore, & certis de causis factæ. *Tholos. in syntagm. jur. univ. lib. 2. tit. 9.*

E

Con=

Concedit, in nomine Domini, plenas Pontifex; *c. quod autem. 4. de pœnit. & remiss. c. excommunicamus. 13. §. quid autem. de haret. c. ad liberandam. 17. de Iudais. Episcopi, non alii Prælati, (nisi ex speciali privilegio, Gl. in c. nostro. 15. de pœnit. & remiss. c. accedentibus. 12. de excess. Pralat.) limitatas. c. cum ex eo. 14. §. fin. de pœn. & remiss. c. 24. quodcunque. 24. qu. 1.*

Conceduntur à summo Pontifice, verbo, literis, & quolibet scripturâ, adjectâ Clausulâ, solam signaturam sufficere, etiam in favorem fidei. *c. fin. de pœnit. Ext. com.*

Cui conceduntur, debet esse Christianus: *c. 33. nihil sic debet. 11. qu. 3. c. 7. si quis à Catholica. 23. qu. 4. contritus & confessus, c. 1. §. nos de omnipotentia. Ext. de pœnit. & remiss. credere; ei, qui concedit, esse subditus; c. quod autem. 4. c. nostro. 15. de pœn. & remiss. per se, vel per alium, si res patitur, implere ea quæ indulgentiæ impleri mandant.*

Qui tamen morte aut alio impedimento ea non potuit implere, nihilominus remissionem consequitur. *Gloss. ad c. 1. ad verb. confitebuntur. circa fin. de pœnit. in Ext. comm. text. in c. 2. eod.*

Causæ, ob quas conceduntur, debent esse piæ, ut redemptio captivorum, eleemosynæ, ædificationes Ecclesiarum, & similes. *c. 1. eod. in 6. c. quod autem. 4. de pœnit. & remiss.*

De Extrema unctione.

TIT. IX.

EXtrema unctio est, quâ graviter ægrotantium, quos eo morbo morituros probabiliter metuitur, certæ corporis partes sanctificato oleo à Presbytero inunguntur; ut non minus animæ, quàm corporis sanitatem operetur.

Introducta mandatu D. Jacobi, *in Epist. cap. 5. vers. 14. & 15.*

Est vel *externa*, quâ corpus: vel *interna*, quâ cor inungitur.

gitur. *can. un. in princ. de sacra unct. can. quarendum. 6. de poenit. dist. 2.*

Sacramentum est *Unctio externa*: res sacramenti est *Unctio interna*, quæ peccatorum remissione & virtutum auctione perficitur. *Mag. Sentent. lib. 4. dist. 23. sect. 2. Gloss. ad can. Presbyteros. 2. vers. sed verb. sanctificato. dist. 95. arg. c. 1. & 2. de consecr. dist. 5. & c. un. de sacra unct.*

Inungunt, præviâ oratione, sanctificato oleo olivarum, Sacerdotes, *c. quæsiuit. 14. de verb. sign. c. illud superfluum. 3. dist. 95.* vel soli, vel cum clerico. *d. c. quæsiuit. 14.* morbo naturali, non casuali, ægrotos; si non amentes, *Angel. Clavas. in summa. verb. unctio extrema. num. 4.* nec impœnitentes sint, *d. c. illud superfluum.* nec in peccato mortali existant; qui ipsis subsunt. Alienos subditos si non habitâ speciali Parochi Presbyteri licentiâ inungere ausi fuerint, ipso facto excommunicantur, à solo Pontifice absolvendi. *Clem. 1. in princ. de privileg.*

Inunguntur ægroti in partibus sensualibus, ex quibus origo peccati; ut oculi, pro peccato visus; aures, propter auditum; nares, ob odoratum; os, propter gustum; manus, propter tactum; pectus, propter appetitum; pedes, propter motum.

Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animum alleviat & confirmat. *d. c. Presbyteros. 2. §. prohibitio. dist. 95. c. un. de sacra unct.*

Potest hoc Sacramentum iterari, si infirmus unctus ab ea ægritudine resurgat, & postea in aliam cum periculo mortis incidat. *Gloss. ad d. c. presbyteros. 2. vers. prohibitio. verb. sanctificato. in fin. dist. 95.*

Sunt & aliæ unctiones, vel cuius Christiano *communes*; ut oleo Catechumenorum ante Baptismum; mox chrismate ante Baptismi solennia peracta; chrismate, in confirmatione. vel *particulares*; ut Episcopi, in manibus capiteque; Principis secularis, in brachio seu humero. *c. un. de sacra unct.*

De Ordine.

T I T. X.

ORdo, est Sacramentum Ecclesiæ, quo superiorum imponens ordinato potestatem Ecclesiasticam tribuit. *c. ult. de sacram. non iterand.*

Potestas ea vel est *Ordinis*, vel *Iurisdictionis*; Sub illa cadit verbi divini ministerium, administratio Sacramentorum; Ecclesiarum ordinatio ad ædificationem: sub hac potestas excommunicandi, pœnitentes absolvendi, peccata retinendi.

Præcipua ea potestas, quæ ad Eucharistiæ Sacramentum refertur, in Sacerdote quidem plena & perfecta; ut qui unus illud potest conficere: in aliis inferiorum ordinum ministris major, vel minor, quo quisque ministerio suo magis minusve ad Altaris Sacramentum accedit.

Sed de hujus Sacramenti speciebus, differentiis, gradibus, satis superiore libro diximus.

Hic addimus ex omnibus ordinibus unum tantum Sacramentum constitui; non autem singulos ordines separatim Sacramentum esse. *sec. Canon. & Cucchum, in Instit. major. hoc. tit.*

De Matrimonio.

T I T. XI.

Sequitur de matrimonio; quod, quoad divinam in paradiso institutionem, divinique mysterii effectum, Sacramentis annumeratur.

Est *matrimonium*, viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem, cum divini & humani juris communicatione, continens. *in sum. 27. qu. 2. §. sunt. c. illud. 11. de presunt.*

Ejus bona sunt, præter Sacramentum, fides, proles, fornicationis remedium. *can. 10. omne. 27. qu. 2.*

Illud

Illud in contrahendo *Sponsalia* præcedunt: unde de iis primo agendum.

De Sponsalibus.

TIT. XII.

Sponsalia, sunt futurarum nuptiarum promissio. *c. nostrates. 3. caus. 30. qu. 5.*

Sunt vel *de presenti*, vel *de futuro. c. si inter virum. 31. hic.*

De presenti (sic dicta quasi concepta per verba præsentis temporis) nihil aliud sunt quam contractus matrimonii, *c. 1. c. tuæ fraternitati. 25. & d. c. si inter virum. 31. eod.* quibus jam dicta sponsaliorum definitio non competit. Unde de iis titulo sequenti de Nuptiis tractabimus.

Sponsalia de futuro (quæ propriè Sponsalia), sunt promissio futurarum nuptiarum; per verba futuri temporis; ut, *Ego te in uxorem ducam. c. pen. eod.*

Hæc vel sunt *Nuda & Simplicia*: cum sponsus sponsæ nudè & simpliciter promittit, quod eam in uxorem ducet; & è converso. *c. ad audientiam. 4. & c. si inter. eod.* vel *Firmata*, cum aut arrhæ, aut earum vice pignora, aut annulus datur; aut juramentum interponitur. *c. 14. si quis uxorem. c. 15. si quis desponsaverit. 27. qu. 2. c. praterea. 12. c. veniens ad nos. 15. c. commissum. 16. eod.*

Contrahuntur consensu, *c. praterea. 2. eod.* sive is verbis, sive re, ut annuli, *Gl. in c. fin. de despons. impub. Gl. in c. tenor. 10. de sent. & re jud. munerum datione, osculis, amplexu; Paris. conf. 15. num. 4. vol. 4. arg. c. 1. de despons. impub. in 6. in §. idem quoque. & ibi Dd. sive literis, Archid. in c. 8. nec illud. 30. qu. 5. num. 5. & in c. fin. de procur. in 6. num. 2.* per epistolam, nuncium, procuratorem; *Hostiens. in §. qualiter hic.* exprimatur.

Annuli datione, id est, subarrhatione, *d. c. 15. si quis desponsaverit. 27. qu. 2.* ut contrahantur sponsalia, annulum non sufficit dari; sed necesse, sive voce, sive signis exprimi,

primi, in hoc ut sponsalia contrahantur, dari & recipi. *c. illud. 15. qu. 1. c. ne quis. 22. qu. 2. Imola in c. tenor. 10. de re jud.*

Si dubium, annulus, nuptiarum, an sponsaliorum ratione sit datus; Judicis est ex consuetudine patriæ, & circumstantiis, id decidere. *c. illud. 11. de presumt. c. 1. de matr. contr. constit. Eccl. Abb. in. c. ult. de despons. imp.*

Literis si consensus exprimatur, necesse ut is qui eas mittit, in voluntate sponsalia contrahendi perseveret, usquequo ille ad quem literæ mittuntur, consentiat; *Gl. in c. 8. nec illud. 30. qu. 5. tacite, ut contrahat sponsalia: arg. text. c. tua. 25. hic. ubi Dd. expresse, puta consensus sui per eundem vel alium nuncium, certiozem faciendo; ut matrimonium. Archid. in d. c. nec illud. 30. qu. 5.*

Per procuratorem ita demum sponsalia contrahuntur, si is ad id speciale habeat mandatum, *Archid. in c. fin. de procur. in 6. nec illud sit revocatum. Gl. in d. c. fin. in verb. revocatus. per text. in c. sicut. 22. & c. si inter. 31. in fin. hic. & Dd. in d. c. fin.*

Qui procurator alium sibi substituere nequit; nisi & hoc in mandatis habeat. *d. c. fin. de procurat. in 6.*

Contrahere Sponsalia possunt omnes, tam puberes, quam impuberes, qui septennium excefferunt; *c. accessit. 5. de despons. impub.* quia voluntas, quæ in naturali consensu quiescit, in eos, qui septem annorum compleverunt ætatem, cadit. *l. si infanti. 18. §. ult. & l. potuit. 5. C. de jur. delib.* Ante si contraxerint, post septimum annum legitimo consensu, *c. duo pueri. 12. & ibi Abb. eod. vel cohabitatione, c. literas. 4. §. fin. c. accessit. 5. vers. si consensus. c. duo pueri. 12. eod. vel nixu ad coitum, c. juvenis. 3. hic. c. fraternitati. 7. de eo qui cogn. cons. accedente, convalescunt: nec obest, si muti, surdi à natura sint: modo intellectu non destituantur, & signis voluntatem suam exprimere possint. *c. cum apud. 23. & c. tua. 25. hic.**

Non tantum hi sponsalia contrahere, sed & pro iis alii possunt; ut pater pro filio, mater pro filia, patruus pro nepte,

pte,

pte, tutores & curatores pro pupillis; & alii. quanquam ea effectum non sortiantur, nisi hi puberestacitè, si pater futuras nuptias sponndit; si alius, expresse consenserint. *c. un. de despons. impub. in 6.*

Tacitè consentire censentur, si præsentés sint & taceant. *Innoc. Host. & Abb. in c. ex parte. 14. de restit. spol. Marf. sing. 147.*

Contrahi possunt Sponsalia vel *purè*, vel *adjectâ die*, vel *sub conditione*.

Purè, cum vir & mulier, simpliciter, *purè* & *absolutè* se invicem futuros conjuges pollicentur. *c. 2. & c. ex literis. 10. hic.*

Hoc fecisse videntur, si certam conditionem expresse non adjecerint, licet tacitæ & subintellectæ multæ adsint; *de quib. in c. quemadmodum. 25. de jurejur.* modo tacita non exprimat; faceret enim actum conditionalem. *Abb. & Felin. in c. 2. num. 1. hic.*

Dies sponsalibus adjicitur; cum quis intra certum temporis spatium aliquam se in uxorem ducturum promittit. *c. sicut ex literis. 22. hic.*

Sub conditione celebrantur Sponsalia, cum in aliquem casum vel eventum differuntur, vel cum quis se contracturum, si quid factum fuerit, vel non fuerit, pollicetur.

Conditione pendente, ea non sunt firma; nec ex eis aliqua obligatio orta: *c. de illis. 3. c. super eo. 5. de condit. appof. & ibi Abb.* Nisi carnalis copula sit subsecuta: *d. c. 3. verb. aut carnalis. & c. per tuas. 6. eod. aut conditio sit turpis; non tamen naturæ matrimonii contraria; c. ult. de condit. appofit. aut impossibilis. d. c. ult. §. fin.*

Sponsalia spem certam & jus matrimonii futuri inducunt; adeò ut ne pœnitere quidem liceat, & ad matrimonium consummandum Ecclesiastica censura compelli contrahentes possint. *c. ex literis. 10. hic.*

Si ea sequatur carnalis copula, verum efficitur matrimonium:

nium: quia, licet non concubitus, sed consensus faciat matrimonium, tamen hoc ipso conjunctionis actu satis consensus exprimitur. *c. is qui. 30. hic.* & Ecclesia præsumit, eâ sponsum potius promissionem ad effectum velle deducere quàm fornicationis crimen committere.

Adversus quam præsumtionem, cum sit juris & de jure, *Gloss. d. c. is qui.* probatio in contrarium non admittitur; nisi præsumptioni indirectè & per obliquum obviaret: veluti si sponsum velit probare sponsalia illa ante coitum mutuo consensu, vel alias, legitimè soluta, *ut in c. 2. hic.* aut propter aliquod impedimentum, nulla fuisse. *Abb. & Præposit. in d. c. is qui. Gl. in Clem. un. de probat. Felin. in c. quanto. de præsumt.*

Si duo Sponsalia contracta, priora præferuntur; etiam si secunda sint jurata, *c. sicut. 22. hic.* non si copulâ carnali confirmata: *Ioan. And. & Præpos. in d. c. is qui fidem. 30. hic.*

Oritur ex Sponsalibus justitia publicæ honestatis, cujus causâ consanguinei sponsi, cum sponsa, per mortem sponsi, vel alio modo sponsalibus dissolutis, matrimonium contrahere non possunt; & è converso. *c. sponsam. 8. c. ad audientiam. 4. & c. juvenis. 3. eod.*

Dissolvuntur; Mutuo consensu; *c. 2. hic.* etiam si sint jurata; *Dd. in c. prater ea. 12. eod. Dec. consil. 68. col. ult. 2.* Absolutione Judicis, puta ea pubere, qui impubes sponsalia contraxit, petente: *c. de illis. 8. eod. c. à nobis. de despons. impub. 3.* Sponsalibus de præsentibus, *c. sicut. 22. hic.* aut de futuro copulâ confirmatis, *c. veniens ad nos. 15. eod. 4.* Affinitate superveniente; *c. super eo. 2. de consang. & affinit.* etiam per illicitam copulam; *c. veniens. 9. de eo qui cogn. consang. uxor. sue. 5.* Ingressu religionis; *c. commissum. 16. hic. c. 2. de convers. conjun. 6.* Fornicatione, sive corporali; ut cum sponsa cum alio fornicatur; *c. 33. raptor. 27. qu. 2. etiam vi: c. quemadmodum. 25. ubi Gl. de jurejur. sive spirituali;* ut si alteruter in hæresin vel idololatriam inciderit: *c. 6. non solum. & c. 8. jam nunc. 28. qu. 1. 7.* Lapsu temporis, vel diei, sive *conventionalis*, in contractu sponsalium per contrahentes adjecti; *c. sicut ex literis. 22. & ibi Gl. hic. sive Legalis;* nullâ à contrahentibus tempo-

ris factâ mentione, puta triennii; per quod, si quis absque legitima causa absit, præsentis facultas datur liberè contrahendi; *c. de illis. 5. & ibi Gloss. hic. 8.* Defectu implementi ejus quod promissum; aut conditionis, *Ioan. Andr. & alii in d. c. de illis. 3. de condit. apposit. 9.* Fama Canonici impedimenti, si de ea doceatur; *c. cum in tua. 27. hic. c. super eo. 22. de testib. 10.* Capitali inimicitâ inter sponsoſ superveniente; *Host. in sum. hic. §. fin. per ration. de qua in c. 2. & c. requis. 17. eod. 11.* Morum asperitate alterutrius; *Abb. in c. veniens. 5. qui cleric. vel vovent. 12.* Deformitate, aut morbo contagioso, subsequente. *c. fin. de conj. leprof. d. c. quemadmodum. 25. de jurejur.*

Quibus casibus alia sponsalia contrahi possunt; absq; auctoritate Judicis, si causa notoria quantum ad veritatem, quia vera; & quantum ad justitiam, quia de jure sufficiens, utpote in eo expressa. *Sylvest. verb. sponsalia. qu. 11.* Si causa non notoria; cum ea: quia causa coram Judice probanda. *Ioan. Andr. in c. de illis. 5. hic. Hostiens. in sum. §. fin. eod.*

De Nuptiis.

TIT. XIII.

Sponsalia de præsentis (ut diximus) nihil aliud sunt quàm contractus matrimonii per verba de præsentis celebratus. *c. 1. c. tua fraternitati. 25. c. si inter virum. 31. de sponsal.*

Est (ut supra diximus) *matrimonium* conjunctio legitima maris & feminae, individuam vitæ consuetudinem, & divini humanique juris communicationem continens. *Hostiens. in §. quid sit. tit. de matrim. & 27. qu. 1. §. 1.*

Dico *conjunctio*, scilicet animorum; ut sit initiatum: & corporum; ut sit perfectum matrimonium. *c. 39. institutum. c. 39. matrimonium. c. 35. cum initiatur. cum c. seq. 27. qu. 2.*

Maris & feminae; quia plures uxores aut viros habere non licet; *c. 4. nemo. 32. qu. 4. c. licet. 3. c. tuas. 5. de spons. duor. c. gaudemus. 8. de divor.*

Individuam vitæ consuetudinem continens; puta ex destinatione: quum in hoc coeant qui nuptias contrahunt, ut sint perpetuæ vitæ consuetudine conjuncti. *c. 7. femina. 30. qu. 5. c. 6. solet. 32. qu. 2.*

Divini humanique juris communicationem continens; quia contrahentes debent esse ejusdem religionis.

Propterea Christiani cum Paganis, Judæis vel Turcis nuptias contrahere non possunt, *c. 15. cave. c. 17. si quis Iudaica. 28. qu. 1. sub pœna excommunicationis. d. c. si quis Iudaica.*

Est matrimonium vel *publicum*, quod per verba de præsenti in præsentia testium, servatis debitis solennibus fit; de quo hoc titulo: vel *clandestinum*; quod non adhibitis testibus, nec observatis debitis solennibus, vel denunciatione præmissâ, est contractum. *Gl. in c. cum inhibitio. 3. de clandest. despons.*

Est & matrimonium; aliud *legitimum & non ratum*; aliud *ratum & non legitimum*; aliud *legitimum & ratum. can. fin. §. item. 28. qu. 1.*

Legitimum & non ratum dicitur; quod inter Judæos & Infideles contrahitur; juxta leges Mosaïcas & forenses cujusque loci. *de quo in c. quanto. 7. & in c. gaudemus. 8. de divort.*

Dicitur *non ratum*, quia non est firmum, cum inter Infideles repudio possit dissolvi. *vid. c. quanto. 7. de divort.*

Ratum & non legitimum est; quod Christiani & fideles, citra solennitates Canonicas contrahunt.

Dicitur *ratum*; quia inter fideles matrimonium semel initiatum, & completum, amplius dissolvi non potest.

Legitimum & ratum est, quod fideles, servatis Canonum solennitatibus, celebrant. *c. 1. & c. 15. cave. 28. qu. 1. d. c. quanto. 7.*

Hoc vel est *initiatum*; videlicet consensu: & est idem quod Nuptiæ, sive sponsalia de præsenti: *c. 2. sufficiat. 27. qu. 2. vel consummatum*, scilicet carnali copulâ. *c. 2. de convers. conjug. c. 34. statutum, cum seq. 27. qu. 2. & dicitur matrimonium perfectum.*

Perfectum puta, quantum ad vinculum, & quantum ad significationem. Nam matrimonium ante copulam, licet quoad

quoad vinculum sit perfectum, & ex sanctitate sacramenti sanctum; *c. 3. beata. c. 9. conjux. c. 10. omne. 27. qu. 2.* non tamen dicitur perfectum, quoad significationem; non enim illa omnia significat, quæ carnali consummatum copulâ significaret. *Abbas in c. debitum. 5. in 1. notab. de Bigamis non ordin.*

Siquidem matrimonium ante copulam significat caritatem, quæ inter Deum & justam animam in spiritu consistit: post copulam designat conformationem; quæ consistit in Christo, id est, divinitate, & carne humana, quam in Virginis utero suscepit. *d. c. debitum. 5. de Bigam. non ord.*

Matrimonium legitimum & ratum ut contrahatur, necesse, ut contrahentes sint *matrimonii capaces*, & ut contrahant *legitimo modo*.

Matrimonii capaces sunt; qui coire, & consentire possunt, licet sint impuberes: *c. puberes. 3. c. à nobis. 8. c. de illis. 9. de sponsal. c. ult. de desponsat. impub. nec impediuntur.*

Legitimo modo contrahunt, qui in nuptias consentiunt, & parentum, si habent, consensum adhibent.

Consentire contrahentes debent, *c. 2. sufficiat. 27. qu. 2.* voluntariè; *c. requisivit. 17. de sponsal.* adeò ut si vi, metu, vel errore, nuptias contraxerint, eæ sint ipso jure nullæ. *c. cum locum. 14. eod.*

Metum intellige non reverentialem, *Gl. Abb. & Dd. in c. 1. de despons. impub. Gl. in c. 3. presens clericus. 20. qu. 3.* sed qui in constantem virum aut feminam potest cadere: *c. consultationi. 28. in fin. de sponsal. Gl. in c. cum dilectus. 6. de iis quæ vi metusve caus.* licet eum passus coactioni causam dederit: *Gl. per text. in c. veniens. 13. de sponsal. Felin. in c. cum inter. num. 20. de except. juramentum intervenerit; Gl. & Dd. per text. in c. significavit. 2. de eo qui dux. quam poll. adult.* Modò metus, causâ ejus cessante, postea cohabitatione spontaneâ non fuerit purgatus. *Ioann. And. Abb. Præpos. in c. ad id. 21. de sponsal. Oldrad. conf. 35.*

Error

Error nuptias impedit; qui contingit circa ea quæ sunt de matrimonii essentia; ut sunt personæ, & mutua corporum potestas: non qui contingit circa qualitatem personæ & fortunæ; cum hæc non sint de essentia. *Gl. & Abb. in c. cum dilectus. 6. de iis qua vi met. caus.*

Proinde errans in *persona*, ut cum quis putat se ducere Corneliam, quæ erat Sempronia; vel *conditione*; cum servam, quam credit esse ingenuam; nisi errore cognito carnis commixtio sit subsecuta; *c. proposuit. 2. ubi Abb. de conjug. serv.* contraxisse matrimonium non intelligitur. Omnino errans in *qualitate*; ut si corrupta aut meretrix sit, quam virginem: aut in *fortuna*; ut si pauper, quam divitem putabat. *caus. 29. qu. 1. per totam. Abb. d. c. proposuit. 2.*

Quinimo facti meritum habebit, qui publicam meretricem de lupanari extraxerit, & in uxorem duxerit. Inter opera enim caritatis non minimum est, errantem ab erroris sui semita revocare. *c. inter opera. 20. de sponsal.*

Matrimonium contractum cum serva, quam quis liberam putabat, non subsistit, non quia ad illud libertas, ut Civili jure, requiritur; sed quia ad talem errorem nullus consensus favore libertatis intervenisse præsumitur. *c. fin. de conjug. serv. & per tot. 29. qu. 1.*

Non est error in *conditione personæ*, nec matrimonium inutile, si vir dicatur natus ex matre ancilla & patre libero; dummodo secundum leges aut loci consuetudinem partus patrem sequatur. *c. licet. 3. eod.*

Servitus unius ex contrahentibus non impedit matrimonium; si alter eam non ignorat. *c. 2. si quis. c. 5. si femina. 29. qu. 2.*

Si nuptias contrahentes, parentes habeant, eorum consensum, olim ex necessitate, *c. non omnis. 12. cum seq. 32. qu. 2. c. 1. aliter. 30. qu. 5.* hodie, ex Concilio Tridentino, *sess. 24. c. 1.* ex honestate tantum debent adhibere.

Consensus in nuptiis interponitur vel *purè* (qui statim habet

habet consummandi necessitatem. *Panorm. in c. super eo. 5. de cond. appof.*); vel *sub conditione*, qui eam necessitatem non habet, nisi post conditionis eventum; nisi accedat copula, per quam conditio purificetur, quamvis vir ab illa se recedere nolle expressè protestetur. *c. per tuas. 6. eod. ubi Gl. & Dd.*

Conditio tamen debet esse honesta & possibilis; veluti, *si pater voluerit*; aliave similis; *c. de illis. 3. c. super eo. 5. c. per tuas. 6. eod.* non matrimonii substantiæ contraria; ut, *contraho tecum, si prolis generationem vites*: tum enim nuptiæ sunt nullæ. *c. ult. eod.*

Quod si improbatantum vel impossibilis sit conditio, veluti, *si hominem occideris, manibus cælum attigeris*; favore matrimonii, pro non adjecta habetur. *c. 1. ult. eod.*

Purè consensus interponi debet per verba præsentem consensum exprimentia; si contrahentes loqui possunt; si non, ut *muti, surdi*, per signa. *c. tua fraternitati. 25. de sponsal.*

Verba si sunt ambigua, pro matrimonio fit interpretatio. *c. tua nos. 26. de sponsal. c. continebatur. 6. de despons. impub.*

In actibus enim quæ pendent à mera voluntate & dispositione loquentis, ejusmodi verba pro præsentibus accipiuntur. *Panorm. in c. quemadmodum. 25. per illum text. de jurejur.*

Consensum, ut nuptias contrahant, interponere possunt omnes qui non impediuntur.

Impedimenta alia impediunt *matrimonium contrahi*, & *contractum dirimunt*; alia quidem *impediunt*, *sed non dirimunt*.

Prioris generis sunt; *vis, metus, error*, de quibus diximus; *cognatio, justitia publicæ honestatis; votum solenne, ordo, crimen, coeundi impotentia, cultus disparitas*.

Cognatio vel est *spiritualis*, vel *carnalis*, vel *legalis*.

Spiri-

Spiritualis cognatio, est personarum propinquitas, seu conjunctio, ex baptismo vel confirmatione proveniens. *c. 1. de cognat. spiritual. in 6.*

Est vel *compaternitas*; quæ est inter patrem spiritua-
lem & patrem carnalem: ut inter baptizantem vel susci-
pientem (uterque patrimus dicitur), & patrem baptizati
seu suscepti: vel *paternitas*; quæ inter baptizantem & ba-
ptizatum, nec non inter suscipientem & susceptum: vel
fraternitas; inter filios baptizantis vel suscipientis, & fi-
lios baptizati seu suscepti. *c. quod autem. 30. qu. 4. c. 1. eod. in 6.*

Prohibet hæc cognatio non tantum matrimonium
contrahi, sed & contractum dirimit. *c. 1. eod. in 6. c. ve-
niens. 6. & c. tua nos. 7. eod. c. 1. 30. qu. 1. & c. 3. si quis
ex uno. 30. qu. 4. c. 1. ita diligere. 30. qu. 3. c. 17. si quis
cum matre. 33. qu. 2.*

Si tamen vir aut uxor filium proprium sacro de fonte
susceperit, quamvis, si id prudenter faciant, peccent, *c. 6.
de his. 30. qu. 1.* non idcirco separari, aut alter alteri cor-
poris potestatem subtrahere possunt, nisi ad continentiam
servandam possint induci. *c. 2. de cognat. spirit.*

Ex Concilio Tridentino, cognatio spiritualis, & ob eam
matrimonii prohibitio, tantum contrahitur inter baptiza-
tum & illius patrem & matrem & suscipientem, & inter
confirmantem & confirmatum illiusque patrem & ma-
trem, ac tenentem. *cap. 2. sess. 34. de reform. ma-
trim.*

Cognatio carnalis, est quæ *consanguinitate*, vel *affinitate*
contrahitur.

Consanguinitas (etiam generali nomine *cognatio* dicta)
est vinculum personarum ab eodem stirpite descendantium
vel adscendentium, carnali propagatione in matrimonio,
vel extra illud, *c. per tuas. 10. & ibi Abb. num. 3. de probat.
Andr. & Prapof. in arbor. consangu. num. 5. contractum.*

Tria in eo potissimum sunt consideranda: Nempe, *Sti-
pes, Linea, Gradus.*

Stipes,

Stipes, est persona à qua aliæ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt.

Quæ ad gradum lineæ æqualis vel inæqualis constituendum non computatur.

Linea, est collectio personarum ab eodem stipite descendentium, diversos continens gradus, & numeros distinguens. *Hosiens. in §. quid linea. de cons. & affin.*

Est vel *Recta*; eaque aut *Superior*, quæ est parentum, seu adscendentium; aut *Inferior*, quæ liberorum seu descendentium; vel *Transversa*, quæ est inter fratres cæterosque cognatos.

Hæc vel est *Æqualis*, quando cognati æqualiter à stipite distant; vel *Inæqualis*, quando ab eo distant inæqualiter: veluti, *fratres duo sunt in linea æquali; quia uterque à stipite, scilicet patre, uno gradu distat: frater & fratris filius sunt in linea inæquali; quia frater à stipite, scilicet patre, uno gradu distat; fratris filius secundo. c. 1. & 2. 35. qu. 5.*

Gradus, est habitudo distantium personarum, quâ propinquitatis distantia inter personas duas, vel diversas, discernitur. *Venator, in Analys. Iuris Pont. tit. de cons. & affin.*

Hoc jus, quia considerat gradus nuptiarum duorum consensu constantium, ideo & duas personas in iis numerandis conjungit; *d. c. 2. ad sedem. 35. qu. 5.* sed aliter in *Linea Recta*, aliter in *Transversa*.

In *linea Recta*, tam superiori, quam inferiori; *Quot generationes numerantur, tot numerantur gradus, demto stipite*; à quo numeratio initium habet. Persona enim addita personæ, adscendendo vel descendendo, per carnis propagationem, addit gradum, non mutat genus.

In *linea Transversa Æquali* (hoc est, quando illi, de quorum cognatione quæritur, directè in diversis lineis sibi invicem sunt oppositi), *Quoto gradu unusquisque eorum distat à stipite, eodem distant inter se.* Ex. gr. *Patrueles & consue-*

consobrini distant gradu secundo à communi stipite; ergo eodem gradu, hoc jure distant inter se. *c. 4. parentela. 35. qu. 5.* & sic duo gradus juris Civilis unum canonicum constituunt. *d. c. ad sedem. 35. qu. 5.*

In *linea Transversa Inaquali* (hoc est, cum ii, de quorum cognatione quæritur, non directè, sed obliquè sibi invicem opponuntur), *Quoto gradu remotior distat à stipite, eodem distant inter se.* Ex. gr. Fratris filius à patruo distat gradu secundo, quia eodem distat ab avo, communi stipite. *c. ult. de consang. & affin.*

In *linea Recta* inter adscendentes & descendentes nuptiæ prohibentur in infinitum: *c. 18. in copulatione. 35. qu. 2. & 3. contractæ solvuntur. dd. cc. & c. prin. eod.*

In *linea Transversa*, olim usque ad septimum gradum, *c. 16. progeniem. c. 17. de consanguinitate. 35. qu. 2. & 3.* hodie usque ad quartum inclusivè: *c. non debet. 8. eod.*

Matrimonium tamen intra illum gradum ab infidelibus contractum, qui postea conversi, non est dissolvendum. *c. de infidelibus. 4. eod.*

Affinitas, est personarum necessitudo, ex coïtu proveniens. *Ioann. Andr. & Canon. in arb. consang.*

Eam parit coïtus, tam licitus quàm illicitus; etiam coactus, cum dormiente commissus, *c. discretionem. 6. ubi Gl. Abb. Præpos. de eo qui cogn. consang. uxor. c. 10. nec eam. 35. qu. 3.* si quidem sit perfectus, id est, semen viri in vas femine naturaliter ad generandum sit immissum. *c. 11. extraordinaria. 35. qu. 3. ubi Gl.*

Non extenditur ad affines personæ conjunctæ, *c. non debet. 8. de consang. & affin.* sicuti nec ad cognatos viri & mulieris inter se. *c. pen. & c. quod super. 5. eod.*

Ejus gradus, hoc jure, eodem modo computantur, quo gradus consanguinitatis. *d. c. pen. & ult.* Quia, cum conjuges sint una caro, quoto consanguinitatis gradu est mihi Titius vel Titia, rectè eodem gradu affinitatis esse censetur mihi uxor Titii, vel Titie maritus.

Affinitatis tria sunt genera; & quam rationem habet primum

num genus affinitatis ad consanguinitatem, eandem habet secundum affinitatis genus ad primum, & tertium ad secundum. *Nam persona, per nuptias, sive coitum, adjectio, necessitudinem mutat.*

Primum genus affinitatis contrahitur per unam personam, secundum per duas, tertium per tres. Ex. gr. *Frater est mihi consanguineus, is si Maviam uxorem ducat, ea mihi est affinis in primo affinitatis genere. fratre meo mortuo, si Mavia nubat Titio, Titius mihi erit affinis in secundo genere. Maviâ defunctâ, si Titius ducat Caiam, hac affinis mihi eris in tertio genere.*

Duæ autem duorum consanguineorum uxores, vel duarum consanguinearum mariti, vel consanguinei uxor & consanguineæ maritus, affines inter se sunt in secundo genere.

Denique conjux nostri consanguinei vel consanguineæ, est nobis affinis in primo genere: conjux autem personæ affinis in primo genere, est affinis in secundo; & conjux personæ affinis in secundo genere, est affinis in tertio genere. *Pac. in Isag. in Decret. tit. de cons. & affin.*

Sicuti matrimonium inter consanguineos adscendentes & descendentes ratione consanguinitatis in infinitum est prohibitum: ita & inter affines adscendentes & descendentes, cum hi loco parentum & liberorum habeantur, perpetuò prohibetur. *c. 1. de cons. & affin.* Unde inter consanguineos uxoris meæ, qui ei in linea recta sunt conjuncti, & me, nuptiæ consistere non possunt. *d. c. 1.*

In linea transversa, ut inter consanguineos usque ad quartum gradum inclusive; ita & inter affines à latere hodie ad quartum gradum in primo affinitatis genere, si affinitas per legitimas nuptias oriatur: si autem per illicitum & vetitum coitum sit contracta, prohibentur nuptiæ; *c. discretionem. 6. & c. penult. de eo qui cogn. cons. ux. c. preterea. 2. de sponsal. in tertio & quarto permittuntur. c. pen. de consang. & affin.*

Olim in primo genere prohibebantur nuptiæ usque ad

septimum gradum, *c. 1. de affinitate. c. 7. nullum. 35. qu. 3.*
 in secundo genere usque ad quartum, *c. 3. de propinquis. 35.*
qu. 3. in tertio usque ad secundum. *c. 22. porro duorum.*
35. qu. 3.

Sed hæc intellige de affinitate nuptias præcedente: Affinitas enim superveniens non dissolvit matrimonium, nec sponsalia de præsentibus; sed quidem sponsalia de futuro; & privat incestuosum facultate petendi à conjugè debitum matrimoniale: quamvis petenti teneatur illud reddere: item privat incestuosum potestate novum matrimonium quocumque tempore contrahendi; quanquam si contraxerit, matrimonium valeat, ita ut similiter debitum matrimoniale reddere cogatur; petere non possit, ac pœnitentiam agere debeat. *c. 1. 2. Et tot. tit. de eo qui cogn. consang. uxor.*

Nonnunquam matrimonia ratione consanguinitatis aut affinitatis prohibita, petitâ & à summo Pontifice ex vera & legitima causa impetratâ dispensatione, permittuntur & tolerantur. *vide c. gaudemus. 8. de divort. c. quod dilecto. 3. de consang. Et c. quadam lex. 20. §. sed idem. 2. qu. 35. c. ad sedem. 2. §. hanc comparationem. 35. qu. 5.*

Quæ dispensatio fieri potest, non in lineâ rectâ, *Hostiens. Ioan. And. ad c. non debet. 8. de consang. Et affin. sed in collateralibus, & quidem in secundo gradu. Canon. in c. quaritur. 22. qu. 2. Et c. literas. 13. de restit. spoliat. ubi Gloss. ad verb. non potest. c. 11. si Paulus. 32. qu. 5. ubi Gl. ad verb. suscitare.* Potest enim Papa ex plenitudine potestatis dispensare supra jus in his quæ nec contra fidei articulos sunt, nec Ecclesiæ statum generalem lædunt. *c. proposuit. 4. de conc. præbend. vid. Tholos. in part. Jur. Can. lib. 3. tit. 21. cap. 12. in scholiis.*

Cognatio legalis, est personarum proximitas, ex adoptione, vel arrogatione, solenni ritu facta, *Gl. Hostiens. Et Panorm. in c. un. de cogn. leg. proveniens.*

Ea inter adscendentes & descendentes, tam durante, quàm solutâ adoptione, matrimonium contrahi prohibet,
 & con-

& contractum dissolvit: *c. 1. ita diligere. 30. qu. 3.* inter transverfales, tantum eâ durante. *c. un. de cognat. leg. c. 6. per adoptionem. 30. qu. 3.*

Iustitia publicæ honestatis, est propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur ex institutione Ecclesiæ trahens propter ejusdem Ecclesiæ honestatem. *Tad. Pifo. in tract. de sponsal. part. 2. §. si uxor.*

Hæc tam matrimonium contrahendum impedit, quàm contractum irritat: *c. referente. 10. qui filii sint legit. c. juvenis. & seq. de sponsal.* olim ad quartum, hodie (ex Concilio Tridentino, *sess. 24. cap. 3. de reform. matrim.*) ad primum gradum; si quidem, si ex sponsalibus de futuro oriatur, sint ea valida (quod non necesse erat olim; *c. ad audientiam. 4. de sponsal. c. 1. eod. in 6.*); si ex sponsalibus de præsentis, usque ad quartum gradum, licet ea sint invalida. *Pius V. in Extrav. ad Romanum. lata Anno 1566. de qua Navarr. in suo Enchirid. cap. 22. num. 57.*

Valida sponsalia ut justitiam publicæ honestatis inducant, sunt; quæ à majoribus septennio, *c. un. de sponsal. in 6.* aut eo minoribus, sed post illud in voluntate durantibus; *d. c. un. & c. un. de despons. impub. in 6.* purè, *d. c. un. de sponsalibus. in 6.* cum persona certa, *Gl. in d. c. un. de sponsalibus.* adhibito consensu, sunt contracta, *d. c. un. de sponsalibus. 11. 6.* licet postea sint de jure nulla; puta consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut aliâ quavis ratione. *d. c. un. de sponsalibus. in 6.*

Votum castitatis solenne, quod religionis approbatæ professione expressâ vel tacitâ, vel sacri ordinis susceptione celebratur, matrimonium impedit & dirimit. *c. un. de voto. in 6.*

Impedit etiam & dirimit matrimonium, Ordo sacer. *c. 1. & 2. qui cler. & vow. matrim. contr. poss. c. si qui. 3. & c. erubescant. 11. dist. 32.* adeò ut eo insignitus matrimonium contrahens, ipso facto sit excommunicatus. *Clem. un. de consang. & affin.* Minori ordini initiatus matrimonium licitè contrahit. *c. 1. de cler. conjug. d. c. si qui. 3. & c. seriatim. 14. dist. 32.*

Crimen adulterii etiam impedit matrimonium, & contractum dirimit: si sit commissum cum homicidio, *c. super hoc. 3. de eo qui duxit in matr. quam poll. per adult.* aut machinatione, in necem prioris conjugis, ut eâ perpetrâtâ, adultera ducatur; *Dd. in c. laudabilem. 1. de convers. infidel.* si primâ uxore superstite fidem de matrimonio contrahendo sibi invicem dederint. *c. cum haberet. 5. c. significasti. 6. de eo qui duxit quam poll. per adult. c. 4. relatum. 31. qu. 1.*

Si quis vivente legitimâ uxore aliam ducat, vel cum ea sponsalia contrahat; distinguendum, an hæc sciverit illum uxorem habere, an ignoraverit; & an vivâ primâ ejus uxore, ab illo cum qua contraxit, carnaliter sit cognita, an non: Si fuit cognita, & sciebat eum uxorem habere, matrimonium rescinditur, & ne mortuâ quidem primâ uxore toleratur. *c. 4. 5. & ult. eod.* Si verò ignorabat eum uxorem habere, & cum eo carnaliter se non miscuit, matrimonium post primæ uxoris obitum contrahi potest, & antea contractum non dirimitur; *d. c. ult.* nec fit tori separatio ad viri petitionem, nisi mulier divortium petat. *c. 1. eod.*

Impotentia coeundi (quæ & matrimonium impedit & contractum dirimit) est vitium quo quis alteri carnaliter commisceri impeditur. *c. ex literis. 3. de frigid. & malef.*

Ea est vel à natura; vel ab accidenti.

A natura, vel ob ætatem in impubere; quæ adveniente ætate, definit; cum nativæ qualitates, quæ immaturæ & nimiam humiditate erant oppressæ, calefcere & vigere incipiunt. *c. unic. 30. qu. 2. & c. quod sedem. 2. de frigid. & malef.* vel in adulto; ob nativam qualitatem depravatam; in viro propter nimiam frigiditatem; in muliere, quia ita arcta, ut virum nequeat pati. *tot. tit. eod.*

Ex accidenti impotentia, est vel violenta; ut cum gladio vel alio instrumento alicui virilia sunt amputata: vel occulta; cum quis fascino ligatus, & maleficio ita devinctus,

ut rei venereæ sit prorsus inhabilis. *c. 4. si per sortiarias. 33. qu. 1.*

Ob impotentiam naturalem in masculo adulto, ex frigidity nimia; & matrimonium contrahendum impeditur, & contractum dirimitur. *c. 1. & 2. 33. qu. 1.* in muliere; si Medicorum ope curari potest, non impeditur: si non potest, vel non absque gravi vitæ periculo, impeditur & contrahendum, & contractum rescinditur. *c. fraternitatis. 6. §. hac autem. de frigid. & malefic.*

Accidentalis impotentia si violenta, & matrimonium præcessit, & contrahendo & contracto matrimonio præstat impedimentum; non si durante matrimonio contigit: si occulta, & perpetua, & matrimonium præcessit, contractum rescindit, & impedit contrahendum; non si consummato matrimonio alterutri conjugum accidit. *d. c. si per sortiarias. 33. qu. 1.*

Si de impotentia in viro per inspectionem virorum expertorum; in muliere per mulierum fide dignarum constet, statim matrimonium dirimitur. *c. fin. de frigid. & malef. Hostiens. §. qualiter. eod.*

Si de ea manifestè constare non possit, vel naturaliter, vel ex alterius maleficio provenerit, per triennium tenentur cohabitare; quo elapso, si de impotentia coeundi ipsorum conjugum & septem propinquorum juramento constet, solvitur matrimonium. *c. 5. & c. ult. de frigid. & malef.*

Quæ ita procedunt, si alter conjugum ignorans vitii impotentia quo alter laborat contraxerit; si sciens, vel impotentia postea compertâ simul morari consenserit, rescissio non facillè permittitur. *c. consultationi. 4. eod.*

Impedimenta quæ impediunt, non dirimunt matrimonium, sunt, *furor, interdictum, feris, sponsalia, catechismus, votum simplex, crimen.*

Furor, quia consensus in nuptiis requiritur, futuras nuptias impedit, non dirimit contractas: *c. dilectus. 24. &*

ibi Dd. de sponsal. c. 26. neque furiosus. 32. qu. 7. item, ex eadem ratione, fatuitas. Navarr. in c. si quando. de rescript. except. 9. col. 30.

Furiosus tamen, qui dilucida intervalla habet, eo tempore, rectè nuptias contrahit. *Gl. in d. c. dilectus. 26.*

Quod an fecerit, ex ipsius actus qualitate judicandum. *c. legimus. dist. 93.*

Interdictum Ecclesia est, cum Episcopus, aut alius Judex Ecclesiasticus, aut Parochus, alicui, ne matrimonium cum aliqua contrahat, ob aliquod impedimentum interdicit, donec an illud verè subsit, nec ne, constet. *tot. tit. de matrim. cont. interd. Eccl.*

Matrimonium contra illud contractum, valet si impedimentum non subsit, licet contrahentes peccent, & propterea pœnitentiam subire debeant, *c. 1. & 2. eod. & interim, donec de impedimento cognoscatur, separentur. c. ult. eod.*

Si impedimentum subest, & probetur, matrimonium dissolvitur, non ratione interdicti, sed ratione impedimenti. *Spec. eod. tit. num. 1. per c. tua. 4. de sponsal. duor. c. 21. contradicimus. 35. qu. 3.*

Feriarum tempore (quod olim erat ab Adventu usque ad Epiphaniam, à Septuagesima usque ad octavam Paschæ; & à primo die Rogationum usque ad octavam Pentecostes. *c. capellanus. 4. de feriis. c. 8. non oportet. 33. qu. 4.* hodie ex Concilio Tridentino, ab Adventu usque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis. *sess. 24. cap. 11.*) non matrimonium contrahere, sed contractum benedicere & solenniter celebrari vetatur. *d. c. capellanus. 4. & d. c. non oportet. ubi Abb. Panorm. Gl.*

Sponsalia impediunt matrimonium contrahi. Nam qui sponsalia de futuro contraxit, nisi ea aliquo licito modo solvantur, tenetur cum eadem contrahere de præsentì. Cum alia tamen si de præsentì contraxit, valet matrimonium. *c. veniens. 15. c. sicut. 22. de sponsal.*

Catechismus, ex quo spiritualis oritur cognatio, *c. per Catechismum. 2. de cognat. spirit. in 6.* impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum. *d. c. per Catechismum. c. contracto. 5. eod.*

Est *Catechismus*, instructio baptizandi solenniter à Sacerdote in janua Ecclesiæ facta, antequam baptizetur puer, de articulis fidei Catholicæ Romanæ credendis. *c. ante Baptismum. 54. de consecrat. dist. 4.*

Votum simplex, quod religionis approbatæ professione, tacitâ, vel expressâ, nec sacri ordinis susceptione est solennizatum, non dirimit, sed impedit matrimonium, *c. quidam nubentes. 2. c. si vir. 3. & per totam dist. 27. c. unico. de voto & voti redempt. in 6.* licet illud uterque sciverit. *Navarr. cap. 22. num. 73.*

Crimen quod impedit, non dirimit matrimonium, est *incestus*, *uxoricidium*, *raptus*, *susceptio proprii filii de fonte*, *presbytericidium*, *pœnitentiâ solennis*.

Incestum qui scienter, non per errorem, *c. si virgo. 5. §. fin. cum seq. c. ego dixi. 7. §. fin. cum 3. seqq. 34. qu. 1.* commisit cum affine uxoris, cognata, nec debitum ab uxore petere quam habet, cum ea jam ipsi facta sit affinis, nec eâ mortuâ, matrimonium contrahere potest. *c. 1. c. ex literis. 8. c. transmissa. 4. de eo qui cogn. cons. uxor. c. 21. qui dormierit. 32. qu. 7.* Nisi peractâ pœnitentiâ, se continere non valeat. *c. 16. si quis cum. 33. qu. 2.*

Uxoricidium est, cum vir uxorem occidit. *c. 8. admonere. 33. qu. 2.*

Is matrimonium contrahere nequit, *d. c. admonere. 8.* ut nec uxor quæ maritum occidit, licet de ea nihil jure sit cautum: cum in correlativis, in quibus eadem ratio idem suadet, idem jus sit statuendum. *Abb. in proœm. Decret.*

Sponsam alterius qui *rapiit*, pœnitentiâ mulctatur, & spe conjugii privatur. *c. 24. statutum. 27. qu. 2.*

Qui proprium filium non necessitate urgente, *c. si vir. 2.*

de cognat. spirit. c. 7. ad limina. 30. qu. 1. sed ne uxor à se debitum possit exigere, de sacro fonte suscepit, reddere debitum quidem, sed exigere non potest. c. 5. de eo. 30. qu. 1.

Qui Presbyterum occidisse in foro contentioso convictus, matrimonium nunquam contrahere potest. c. qui Presbyterum. 2. de poen. & remiss. ubi Abb. in verbo convictus.

Qui peccatum commisit, propter quod ipsi solennis poenitentia injuncta, nequit nuptias contrahere. c. 12. de his. c. 19. antiqui. 33. qu. 2.

Nullum si matrimonio contrahendo aut contracto obstat impedimentum, debet illud publicè coram Ecclesia, c. 1. 30. qu. 5. c. 2. & 3. de cland. despons. aut in cœtu aliquot fidelium, Ecclesiam repræsentante, c. fin. eod. benedicente nubentibus Sacerdote Parocho, c. 5. sponsus & sponsa. 30. qu. 5. c. 1. aliter. 30. qu. 5. c. fin. 28. qu. 1. aut ejus permisso alio, Clem. prim. in princ. de privileg. celebrari.

De clandestina desponsatione.

T I T. XIV.

Diximus superiori titulo de sponsalibus de præsentibus publicis; restat ut de *clandestinis* agamus.

Ea sunt, quæ non adhibitis testibus, sed clam, & quodammodo furtivè sunt contracta; c. 1. & 2. hic. aut in quibus solennia ad nuptias requisita sunt ommissa; c. 1. aliter. 30. qu. 5. aut quæ contra statutum vel consuetudinem inita. c. fin. hic. ubi Gloss.

Solennia ad nuptias requisita sunt, ut in Ecclesiis per Presbyteros matrimonia contrahenda proponantur, termino competenti præfinita, intra quem, qui voluerit, aut potuerit, impedimentum legitimum opponat; & ipsi Presbyteri nihilominus, utrum obsistat aliquod impedimentum, investigent; illud esse, si ex probabili conjectura appareat, contractum, donec, quid super eo fieri debeat, manifestis constiterit documentis, expressè interdiciant. d. c. fin.

Quod

Quod si Presbyteri non fecerint, sed ei interfuerint, per triennium suspenduntur, & si culpæ qualitas postulaverit, gravius puniuntur. *d. c. fin. §. fin.*

Liberi ex hujusmodi matrimonio clandestino & interdicto procreati, non sunt legitimi; nullâ ipsos parentum ignorantia excusante; Cum sic contrahentes, vel non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantia videantur. *d. c. fin. §. si quis.*

Valet tamen clandestinum matrimonium, & liberi ex eo nati sunt legitimi; si postea ab Ecclesia probetur: *c. 1. eod. c. quod nobis. 9. qui filii sint legitimi.* aut per eos qui clam contraxerunt, publicetur. *c. 2. hic.*

Lite super eo motâ, viro incumbit probatio. *c. 1. eod.*

Probatum matrimonium per testes, *c. illud. 11. de presunt. c. super. 22. de testib.* non suspectos, *d. c. super. 22.* sed omni exceptione majores; *c. 1. de consang. & affin. Panorm. in d. c. super eo. 22. de testib.* per instrumenta super ipso matrimonio confecta; *Bald. in l. neque. 13. ff. de nupt. per præsumtionem. d. c. illud. 11. copulam carnalem, per c. de illis. 7. de despons. impub. c. per tuas. 6. de cond. appof. Spec. de presunt. §. species. num. 4. & 5.* solennem deductionem & pompam in Ecclesiam vel domum; *Specul. d. §. species. num. 5. per c. ad id quod. 21. c. juvenis. 3. de sponsal. confessionem conjugum; c. attestaciones. 30. de despons. impub. juramentum judiciale. c. mulier. 34. de jurejur.*

Quod cum plus quàm semiplenè probatum est, pro non contra matrimonium est deferendum. *Panorm. in d. c. mulier.*

Ut & nonnunquam, sed pro matrimonio, deferendum juramentum purgationis, *c. attestaciones. 10. de despons. impub.* cum infirmior est probatio, testesque inducti minus idonei; ut parentes, &c. *c. super. 22. de testib. ubi Panorm. & Dd.*

De effectibus matrimonii contracti.

T I T. XV.

Effectus matrimonii contracti sunt *quatuor*.

Primus est: Quod liberi eo procreati vel sunt legitimi, vel fiunt.

Sunt, qui stante matrimonio sunt suscepti; sive illud sit clandestinum; sed ab Ecclesia postea approbatum; *c. quod nobis. 9. qui filii sint legit.* sive jure non valeat; modo alterutro conjugum impedimentum ignorante, in facie Ecclesiae sit contractum; *c. pervenit. 11. & c. pen. eod.* sive ab infidelibus in gradu, lege quidem Canonicâ vetito, sed eorum permisso, sit contractum; *c. ult. eod.* sive matrimonium sit dissolutum. *c. 2. eod.*

Fiunt legitimi, id est, per matrimonium subsequens legitimantur, qui antea nati; modo eo tempore quo procreati, nuptiæ inter eorum parentes potuissent celebrari. *c. 1. & c. tanta. 6. eod.*

Secundus Effectus est: Quod conjuges simul habitare, ita tamen ut vir caput sit uxoris, eaque ei seruiat. *c. 12. est ordo. c. 11. manifestum. in princ. & §. fin. c. 13. hac imago. c. 15. cum caput. c. 18. Adam. 33. qu. 5. & alter alteri exigenti debitum matrimoniale tenetur reddere, c. 3. posse. 30. qu. 1. c. 2. sicut. §. unde Apostolus. 32. qu. 2. c. 1. c. 5. secundum verba. in princ. 33. qu. 5. licet libidinis causâ, c. 2. sicut non omnis. §. his ita respondetur. c. 3. quicquid. c. 4. connubia. §. fin. c. ult. 32. qu. 2. non tamen studio, ut ex concubitu liberi non procreentur, c. 7. solet. c. 7. aliquando. 32. qu. 2. exigatur.*

Qui effectus, quoad redditionem debiti, tollitur; Si Maritus sit Episcopus, Presbyter, aut Altaris minister; *c. lex continentia. 10. c. omnino. 11. c. Nicena. 12. dist. 31. c. multorum. 2. c. eos qui. 10. dist. 32. & intra tempus oblationis, non extra, debitum exigatur: c. quoniam. 13. dist. 31. Si mulier sit in puerperio, vel infantem nondum ablataverit;*

Etaverit; *c. ad ejus. 4. dist. 5. c. si causa. 4. in fin. 33. qu. 4.* menstruo laborat, concepit: *d. c. ad ejus. 4. vers. quippe* & *sine. d. c. si causa. 4.* Si tempore jejunii: *c. 3. fratres. c. 5. Christiana. c. 6. qui in castigatione. 33. qu. 4.* aut orationis, *in princ. cum c. seq. d. c. 33. qu. 4.* nisi ab uxore: *c. 9. nec uxorem. in fine. cum c. seq. d. c. 33. qu. 4.* aut pœnitentiæ, libidinis, non sobolis procreandæ gratiâ; *c. 2. quotiescunque. & c. 4. si causa. c. 7. vir cum. §. si quis verò. 33. qu. 4.* aut die processionis; *d. c. 4. si causa. vers. & dies processionis. d. c. 5. Christiano.* aut benedictionis, debitum exigatur. *c. ult. dist. 23. c. 5. sponsus. in fine. 30. qu. 5.* Si alter conjugum adulterium commisit, & innocens eum retinet; per triennium pœnitentiæ; *c. 4. si quis uxorem. 32. qu. 1.* Si incestum conjux; *c. 30. qui dormierit. 27. qu. 2. c. 21. qui dormierit. 32. qu. 7. c. 1. c. transmissa. 4. de eo qui cogn. conf. ux.* non tamen per ignorantiam, *c. 5. si virgo. §. fin. cum c. seq. 34. qu. 2.* aut culpam conjugis, *c. discretionem. 6. §. fin. de eo qui cogn. conf. ux.* commisit: Si cognatio spiritalis, non tamen fraude alterius conjugum, *c. 4. dictum. 30. qu. 1.* aut necessitate exigente, *c. 7. ad limina. 30. qu. 1.* inter virum & uxorem intervenit: *in princ. & c. 1. c. 5. de eo. §. si autem conjuges. 30. qu. 1.* Si tori facta separatio.

Tori separatio non admittitur, nisi judicio Ecclesiæ præcedente. *c. 3. de divortis.*

Opus est igitur ut matrimonium accusetur, & causa divortii legitimè probetur, ut rectè sententia ferri possit.

Quocirca qui matrimonium accusare, & vel contra illud testificari possint, sequenti titulo explanabimus.

Tertius effectus: Ut simplex donatio inter virum & uxorem regulariter non valeat; donatio verò propter nuptias à viro in mulierem collata ad virum soluto matrimonio redeat, *c. ult. de donat. int. vir. & uxor.* Nisi propter adulterium ab uxore separetur: *Panorm. in c. plerumque. 4. eod.*

eod. pactum de lucranda re donata intercesserit. *d. c. ult. eod.*

Quartus est ; Ut dos valeat , sed similiter soluto matrimonio mulieri reddi debeat ; *d. c. ult. c. 2. §. fin. de conjug. serv.* nisi ejus culpâ matrimonium sit solutum ; *d. c. plerumque. 4.* nisi pactum de lucranda dote intercesserit : *d. c. ult. modò hoc casu matrimonium ab initio utiliter fuerit contractum ; c. etsi necesse. 5. de don. int. vir. & uxor. & æquè de ante nuptias donatione ab uxore lucranda pactum sit ; d. c. ult. nisi consuetudo loci in contrarium extet. d. c. fin. in fin.*

*Qui matrimonium accusare possunt , vel
contra illud testificari.*

T I T. XVI.

Accusare matrimonium , est impedimentum , ob quod inter conjuges matrimonium consistere non potest , explicare. *c. relatum. 1. hic.*

Illud possunt vel tantum *conjuges ipsi* , vel & *consanguinei* , & *extranei*. Nisi denunciationis tempore tacuerint , nec eam probabiliter ignoraverint , nec ex causis (*quarum quadam in c. fin. eod. recensentur.*) accusationem opponere impediti fuerint , nec se de novo didicisse jurent. *d. c. fin.*

Conjuges ipsi tantum ; si impedimentum delictum conjugum non contineat , nec aliorum interfit : ut , si mulier tam arcta sit , ut cognosci nequeat , vir tam frigidus ut coire non possit ; *arg. c. consultationi. 4. de frigid. & malef. si in conditione status erratum ; c. proposuit. 2. de conjug. serv.* si alter conjugum adulterium commisit. *c. quemadmodum. 25. de jurejur.*

Consanguinei & extranei ; si impedimentum delictum contineat ; ut quia aliqui in gradu prohibito , consanguinitatis vel affinitatis , vel contraxisse vel contrahere voluisse dicantur : ita tamen ut consanguinei extraneis ; &
inter

inter illos seniores & præstantiores aliis præferantur. *c. videtur. 3. hic. c. 1. cum palea. seq. 35. qu. 6.*

Parentes ergo si existunt, aliis conjunctis; his non existentibus, frater, soror, patruus, avunculus, amita, matertera, & reliqui consanguinei, extraneis; in iis antiquiores & præstantiores in accusando præponuntur: *d. c. videtur. 3. d. c. 1. cum palea. seq. Fabian. in d. c. 1. consanguineos. 35. qu. 6.* Cum quia illorum interest, matrimonium rescindi vel non; tum quia melius aliis veritatem præsumuntur scire. *c. 2. videtur. 35. qu. 6.*

Hi accusare debent vivâ voce, duobus vel tribus ex consanguinitate, vel totidem senioribus & honestioribus ejusdem loci testibus adhibitis, coram Episcopo, vel iudice competente; præstito juramento, se neque gratiâ, neque pretio, neque timore, neque odio id facere, sed quia credunt, impedimentum quod allegant, verum esse; vel ita se ab antecessoribus audivisse. *c. 5. de parentela illa quam. & c. 8. de parentela illa unde nos. 35. qu. 6.*

Idem juramentum præstant testes. *d. c. de parentela illa quam. & d. c. de parentela illa unde.*

Testes hic esse possunt non modo extranei, sed & proximi consanguinei, & parentes; favore matrimonii; *d. c. videtur. 35. qu. 6. in fin.* imo idem & testis & accusator esse potest. *c. 4. si duo. 35. qu. 6. c. praterea. 22. de testib.*

Impedimento quod obstabat, legitimè probato, divortium conceditur. *d. c. 1. consanguineos. 35. qu. 6.*

De divortii.

TIT. XVII.

Divortium, est legitima mariti & uxoris separatio apud competentem Judicem, cum causæ cognitione & sufficiente ejus probatione, facta. *Panorm. in c. ex conquestione. 10. de restit. spoliat.*

Est vel *tori*, cum usus matrimonii, puta conjugum cohabitatio, vel mutua conversatio, ad tempus, aut nullâ
temporis

temporis habitâ ratione interdicitur: *c. 2. dixit Dominus. 32. qu. 1.* vel *vinculi matrimonialis*; cum matrimonium quoad substantiam, penitus & in perpetuum rescinditur. *c. 5. interfectores. 33. qu. 2.*

Quoad torum fit divortium; 1. Propter *adulterium* alterutrius conjugum, *c. 1. interveniente. c. 3. Apostolus. 32. qu. 7.* licet conjux ejus committendi occasionem dederit; *c. ex literis. 5. hic. c. 3. ita ne. 32. qu. 5. c. 2. licitè. 32. qu. 7.* Nisi uterque adulterium commiserit. *c. significasti. 4. & 6. seq. hic.* Nisi maritus uxorem prostituat; *c. discretionem. 6. de eo qui cogn. conf. ux.* Nisi uxor animum adulterii committendi non habuerit; puta, quia per errorem ab eo, quem maritum putabat, fuit cognita, *c. 6. in lectum. 34. qu. 2.* per vim compressa; *c. 4. proposito. 22. qu. 5.* maritum credens esse mortuum, alii nupserit. *c. 1. cum per bellicam. 34. qu. 1. & 2.* Nisi maritus post adulterium uxorem sibi reconciliaverit. *c. 1. & 2. & 3. 32. qu. 1. 2.* Propter *furorem*, si sit tam vehemens & ardens, ut probabile mortis periculum inducat. *Covarr. 2. part. cap. 7. §. finnum. 3.* 3. Propter *hæresin*; si alter conjugum in hæresin labatur. *c. 2. hic. c. fin. de convers. conjug.* 4. Propter *sævitiâ*, cum alter conjugum vel veneno, vel fustibus, aut gladio vitæ alterius insidiatur. *c. 1. & 2. hic. c. 1. ut lit. non contest. c. literas. 3. & ibi Abb. de rest. spoliat. 5.* Propter *Sodomis crimen. c. 2. omnes causationes. 32. qu. 7. Abb. in c. maritis. 4. de adult.*

Quoad vinculum fit divortium; Propter *infidelitatem*: cum scilicet alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertitur; & infidelis sine fidei nostræ injuria, vel scandalo continuo, cum eo cohabitare non vult. *c. gaudeamus. 1. & ibi Dd. & c. quanto. 7. hic.*

Matrimonio per divortium quoad vinculum dissoluto conjuges liberè ad secunda vota transire, vel religionem, alterâ parte invitâ, possunt intrare: *c. 21. Agathosa. 27. qu. 2.* Non si quoad torum; eo enim casu conjuges manent. *d. c. quanto. 7.*

Sine

Sine iusta divortii causa & sine Judicis auctoritate divertens, per actionem ad matrimonium colendum potest compelli. *c. ex transmissa. 8. de rest. spol. c. ex parte. 9. de sponsal. c. ult. in princ. 31. qu. 2. c. 16. puto. §. cum enim iudai. c. 17. horrendas. c. 19. praecepit. 32. qu. 5.*

Quæ tamen ob justam causam, sed divortio non legitime facto, decessit, repetenti viro, cujus sævitiam veretur, restituitur, si reæ de securitate caveat: *d. c. ex transmissa. vers. recepta*; non restituitur, si tanta sit viri sævitia, ut nulla ei sufficiat cautio; sed usque ad causæ decisionem honestæ & probæ alicui mulieri custodienda committitur. *Abb. in c. literas. 13. & c. ex transmissa. 8. de restit. spoliat. c. 1. seculares. 33. qu. 2.*

De secundis nuptiis.

TIT. XVIII.

HActenus de nuptiis in genere egimus: nunc specialiter de nuptiis secundis agamus.

Ex dicuntur omnes, quæ repetitæ sunt post primas, etsi sint tertiæ, vel quartæ, vel pluries repetitæ. *c. 11. aperiant. & seq. 31. qu. 1.*

In illis quædam sunt propria; puta Quod eis non benedicatur; *c. 1. 3. hic.* Presbyter non possit interesse; *can. 8. de his. 31. qu. 1.* Qui eas contraxit, ad dignitates Ecclesiasticas non possit adspirare. *c. 3. de bigam.*

Sunt alioquin, etiam intra annum luctus, *c. pen. & ult. hic.* permissæ, nec censentur injustæ; *c. ult. dist. 26. c. 13. additur. 27. qu. 2. c. pen. 31. qu. 1.* licet sæpius sint iteratæ. *d. c. aperiant. 11. & c. ult. 31. qu. 1.*

Iterari tamen non debent; nisi de morte prioris conjugis constet. *c. in presentia nostra. 19. de sponsal.*

De rebus Sacris, Sanctis, & Religiosis.

T I T. XIX.

Absoluto Sacramentorum tractatu, restat ut de *rebus sacris, sanctis & religiosis* videamus.

Sunt *res sacra & sancta*, quæ principaliter ad cultum divinum sunt comparatæ; ut *Ecclesia, Altaria, Sanctorum reliquia, vasa, vestes.*

Res religiose sunt, quæ piis usibus sunt destinatæ; ut, *religiosa domus, xenodochia, orphanotrophia, nosocomia, gerontocomia, coemeteria, sepultura.*

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

T I T. XX.

E*ccllesia* hoc loco non significat cœtum fidelium, sed ædes sacras, seu domum Deo dicatam ad Sacramenta & officia divina celebranda, etiam templum appellatam. *c. 2. in princ. de consecrat. dist. 1.* Nam post consecrationem, quæ & dedicatio dicitur, appellatur *Ecclesia*; ante eam *Basilica. c. 1. de relig. domib. & ibi Gl. & c. 2. de consecrat. dist. 1.*

De Ecclesia tria tractanda. 1. *Constructio.* 2. *Consecratio.* 3. *Immunitas.*

Constructio, est duplex: aut enim Ecclesiæ novæ ædificantur; aut veteres collapsæ vel collapsuræ instaurantur seu reparantur. *c. 1. & 2. hic.*

Novæ ædificantur; si justa causa id suadeat; *c. fin. hic.* ut si fructus unius Ecclesiæ sint sufficientes ad duas, & parochia latiores habeat fines quàm tempore hyberno possint accolæ in unam convenire: *c. ad audientiam. 5. hic.* si temporis qualitas exigat: *c. 48. & temporis qualitas. 16. qu. 1.* vel notabile populi incrementum: *c. 50. felix. c. 51. multis. c. 53. precipimus. 16. qu. 1.* si in præjudicium alterius non fiat: *c. 43. Ecclesia. c. 44. quicumque. 16. qu. 1. c. 1.*

*c. 1. de oper. nov. nunc. c. 2. hic. & loco fiat congruo: c. 13
Ecclesias. de consecr. dist. 1. populus loco sacro indigeat.
c. fin. hic. d. c. 53. precipimus.*

Ædificare potest Episcopus, si justa sit causa, licet de rebus Ecclesiæ non alienandis juraverit. *c. fin. hic.*

Sine Episcopi loci *c. 44. quicumque. 16. qu. 1. c. 10. quidam. 18. qu. 2. c. nemo. 9. de consecr. dist. 1. consensu, nemo novas Ecclesias ædificare potest; si faciat, jure patronatus privatur:*

Qui ante ad locum debet accedere, in eo crucem figere, publicè atrium designare. *d. c. nemo. 9. Nov. 131. cap. 7. illud aquâ lustrali adspergere. c. nemo. 9. de consecr. dist. 1.*

Est & ejus prospicere, an is qui ædificare seu fundare decrevit, id pietatis, an quæstus cupiditate, puta ut ex eo quod de suo, vel in suo ædificavit, quæstum cum Clericis dividat, faciat: *c. si quis basilicam. 10. de consecrat. dist. 1. c. 33. Eleutherius. 18. qu. 2. c. 15. hanc consuetudinem. c. 13. quia Sacerdotes. 10. qu. 1. c. 11. Ecclesia qua pactione. 1. qu. 4. an proventus, quæ ad luminaria, custodiam, custodumque stipendia, d. c. nemo. 9. c. pia mentis. 26. caus. 16. qu. 7. onera Episcopalia solvenda sufficiant, d. c. pia mentis. 26. qu. 7. statuat.*

Ad ea enim fundatores tenentur: *c. 1. placuit. 1. qu. 2. d. c. pia mentis. c. cum sicut. 8. de consecrat. Eccl. si non faciant; eorum heredes, d. Nov. 131. c. si quis ædificationem. 10. & c. si autem. 12. aut Episcopus ipse, si sine dotatione ædificari permittit: exemplo ordinatorum sine titulo, quos vel alere tenetur, vel de beneficio eis providere. c. Episcopus. 4. de præbend.*

Reparantur Ecclesiæ, cum vetustate, vel alia de causa collabuntur, seu ruinam minantur. *c. 1. hic.*

Hoc onus incumbit ipsius Ecclesiæ Rectori, si quarta huic usui à sacris Canonibus & redditibus Ecclesiæ assignata non sufficiat, & ipsi Rectori proventus, unde hoc possit ferre, supersint, nullaque consuetudo hoc one-

ris ad laicos transtulerit, *c. pri. ubi. Gl. & c. de his. 4. hic.*

De consecratione Ecclesie & Altaris.

T I T. XXI.

ÆDificata Ecclesia non ante sacris ministeriis deputari potest, quàm consecrata fuerit: proinde, ne divino cultui mora offeratur, hoc quàm citissimè fieri debet. *c. fin. hic.*

Consecrare eam debet Episcopus, qui eo loco jura Episcopalia exercet; *c. 1. de relig. domib. c. Ecclesiis. 3. §. fin. dist. 68. c. 2. & 3. hic. c. 1. vers. ad Episcopum. dist. 25. c. nemo Ecclesiam. 9. c. nullus Presbyter Missas. 15. de consecrat. dist. 1. si de dote ei sit prospectum: c. cum sicut. 8. hic. non inferior: c. nullus Presbyter in Ecclesia. 25. de consecrat. dist. 1. ne quidem Episcopo delegante: quoniam ea quæ ordinis sunt, ut consecratio, alteri mandari non possunt. *c. pen. hic. c. 4. Pontifices. 7. qu. 1.**

Fit consecratio superficiæ interioris parietum delinitione, cum crucibus, *Abb. c. proposuisti. 4. num. 7. hic.*

Sine Sanctorum reliquiis, *c. placuit ut altaria. 26. c. non oportet. 29. de consecrat. dist. 1. aut sine Missa, c. 1. dist. 3. eod. fieri non debet.*

Utrumque requiritur etiam in consecratione iteranda; *c. de fabrica. 24. eod. dist. 1. videlicet cum iteranda est; nam regulariter iterari non debet: sed interdum iteratur; ut cum Ecclesia destructa instauratur, ut in d. c. de fabrica. cum polluta fuit: puta homicidio, adulterio in ea perpetrato; c. si motum. 19. & c. seq. de consecrat. dist. 1. excommunicati corpore in ea humato. c. consuluisti. hic. cum, an sit consecrata, dubitatur. c. solemnitates. 16. §. de Ecclesiarum. c. Ecclesia. 18. de consecr. dist. 1.*

Pollutâ Ecclesiâ pollutum quoque censetur cœmeterium contiguum, non autem remotum; sed contra polluto cœmeterio,

meterio, non ob id censetur polluta Ecclesia: item uno cœmeterio polluto non ob id censetur pollutum aliud, quamvis contiguum. *c. un. de consecrat. in 6.*

Pollui autem hic Ecclesia & cœmeterium dicuntur, quoad opinionem hominum, qui quantum in illis est, dicuntur polluere; non quod ad res pertinet, quæ remanent incorruptæ, & inquinari non possunt. *can. 97. quod quidam. 1. qu. 1. can. fin. 15. qu. 8. c. fin. de cohab. cleric. & mulier. vid. Gl. in d. c. un. ad verb. pollui.*

Fieri potest consecratio non solum diebus Dominicis, sed & privatis. *c. 2. hic.*

Non solum Ecclesiæ, sed & altaria, si sint lapidea, consecrari debent. *c. altaria. 31. cum seq. de consecrat. dist. 1. certis observatis solennitatibus.*

Ex sunt: ut post altaris inunctionem chrismate factam, & benedictionem ei à summo Pontifice tributam, *c. un. §. fin. de sacr. unct. d. c. altaria. 32. c. placuit. 26. ead. dist. & tit.* in facie ipsius altaris, vel in dextro cornu fenestella aperiatur: Sanctorum reliquiæ, unà cum nomine illius Sancti, cui altare dicatur, & Episcopi qui sacrum facit, condantur, fenestella parvo lapide quadrato vel rotundo operiatur, qui lapis sigillum appellatur. *Abb. c. 1. hic.*

Altari amoto, vel Sigillo fracto, & diminuto, consecratio denuo adhibetur: *d. c. 1. eod.* Nisi læsio non sit enormis. *c. ligneis. 6. eod.*

Solennitates consecrationum Ecclesiarum singulis annis debent celebrari. *c. solennitates. 16. de consecrat. dist. 1.*

Qui Ecclesiam vel ædificari vel consecrari prohibuerit, aut non permiserit, sacrilegium committit. *in decret. Hormisdæ Papa: cap. 10. can. nullus. 124. §. qui autem. & can. seq. 1. qu. 1.*

De effectibus consecrationis.

T I T. XXII.

DICTÆ consecrationis septem sunt *Effectus*.

Primus est; Quod in Ecclesia consecrata, & super altari consecrato Missæ celebrantur, *c. 1. de consecrat. dist. 1. & c. fin. c. eod. dist. 2.* non in aliis locis; *c. Missarum. eod. dist. 1.* Nisi Ecclesia desit; Tum enim in capellis cum tabula consecrata; aut ab iter facientibus, sub dio, vel in tentoriis, si tabula altaris consecrata cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, celebrari possunt. *c. concedimus. 30. eod. dist. 1.*

Secundus est; Quod in Ecclesia consecrata fidelibus sacramentum Eucharistiæ præbeatur. *c. liquido. 54. de consecrat. dist. 2.*

Tertius; Quod in iis omnes clerici (ni Ecclesiasticam, arbitrio Episcopi, velint sentire disciplinam, *c. 1. & ult. dist. 91.* aut, si diebus solennibus abfuerint, à communionem suspendi. *c. si quis in clero. 29. caus. 7. qu. 1.*) debeant, horis Canonicis, divina officia non tantum voce, sed & corde, *c. non mediocriter. 24. de consecrat. dist. 5.* celebrare. *c. Presbyter. 2. dist. 91.*

Quartus est; Quod in iis Baptismus celebretur. *c. 7. pridem. 18. qu. 2.*

Quintus; Quod in iis sacramenta, veluti Eucharistia & Chrisma, custodiantur, ut cum opus fuerit, in promptu sint.

Cui ea custodiendi cura commissa, nihil negligentia admittere debet: si secus, etsi nihil nefarium contigerit, trium mensium suspensioni subicitur; si quid nefandum contigerit, graviori subjacet ultioni. *c. 1. de custod. Eucharist. &c.*

Sextus effectus est; Quod in ea Sanctorum reliquiæ, sine quibus non consecrantur, ut supra diximus, altaria, reponantur. *c. placuit. 26. de consecrat. dist. 1.*

Illis

TIT. XXII. DE EFFECT. CONSECR. IOI

Illis veneratio exhibetur; sed ita demum, si aut sint antiquæ, aut Romani Pontificis auctoritate approbatæ. *c. 2. de relig. & vener. Sanct.*

Septimus effectus; Quod in Ecclesiis veneratio Sanctis exhibetur.

Sancti dicuntur, qui vitæ sanctitate & miraculis editis excelluerunt. *Innoc. in c. 1. eod.*

Sed non omnes qui miracula faciunt, sunt venerandi, quia quandoque etiam per malos miracula fieri possunt: *c. 56. teneamus. 1. qu. 1.* sed ii demum qui auctoritate Papæ approbati, & in numerum Sanctorum relati, vel canonizati sunt, *c. 1. de reliq. & vener. Sanct.*

Est *canonizare*, canonicè & regulariter statuere, ut aliquis Sanctus honoretur pro Sancto; puta solenne officium pro eo fiat, sicut pro aliis fit Sanctis, qui ejusdem conditionis sunt: ut si canonizetur confessor, fiat pro eo officium confessorum; si martyr, officium martyrum. *Innoc. in c. 1. num. 1. eod.*

Fit *canonizatio* inquisitione prius factâ in canonizandi vitam, mores, res gestas, *c. 1. §. fin. eod.* an persecutionem in vita fuerit passus, *c. 36. omnis. 7. qu. 1.* in miracula, in vita, & post mortem facta. *Hostiens. in Summa. eod. tit.*

In quibus quatuor necessaria. 1. Quod à Deo, non ex arte quadam procedant. *d. c. 56. teneamus. 1. qu. 1.* 2. Quod sint contra naturam. 3. Quod non ex vi verborum, sed ex pietate hominis contingant, *c. cum Martha. 6. de celebrat. Missar.* 4. Quod sint ad confirmationem fidei. *arg. c. catechumenum. 37. de consecr. dist. 4.*

Canonizatione factâ Sanctorum festiuitates celebrantur; & in earum festiuitatum vigiliis jejunatur.

Iejunium, est parsimonia victus, & ciborum abstinentia. *Innoc. in c. 1. num. 1. de observ. jejun.*

Est vel *necessarium*, vel *voluntarium*.

Illud vel generale est, vel *consuetudinarium*, vel *votivum*, vel *pœnitentiale*.

Generale est, quod certis ab Ecclesia institutis diebus ab omnibus hominibus, nisi cum ipsis ex justa causa dispensetur, puta ob ætatem impuberem, senilem, ob morbum, est observandum. *c. 1. §. fin. c. jejunia. 16. de consecr. dist. 3. c. quadragesima. 16. c. jejunia. 17. eod. dist. 5.*

Tale est, quadragesima, *d. c. quadragesima. 16. de consecr. dist. 5.* jejunium quatuor temporum anni, videlicet in Martio hebdomade primâ, in Junio secundâ, in Septembri tertiâ, in Decembri quartâ, *in princ. cum cc. seqq. usque ad c. scire debet. dist. 16.* jejunium in quarta & sexta feria ab initio noctis usque in diem sequentem, scilicet quartam & sextam feriam. *c. de esu carniuum. 12. c. jejunia. 76. de consecrat. dist. 3.* jejunium in vigiliis Apostolorum, adventu Domini, &c. *c. consilium. 2. in princ. usque ad §. cum autem quæsieris. de observ. jejun. vigiliis Sanctorum. d. c. consilium.*

Vigiliæ dicuntur festorum dierum vespere; quia olim Christiani (ut & hodie in Nativitatis Dominicæ vigilia fit) in orationibus, ob majorem diei festi solennitatem pernoctabant. *can. utinam. 11. dist. 76. c. illa autem. 11. dist. 12.*

Consuetudinarium jejunium voco, quod non generaliter observandum, sed tantum certis in locis, & certis in Ecclesiis, secundum earum consuetudinem; ut in vigilia Bartholomæi Apostoli. *d. c. consilium. §. de festivitate.*

Votivum jejunium est, cum quis non propter Ecclesiæ præceptum, sed ob suum votum, jejunare tenetur. *c. ult. eod.*

Pœnitentiale est, quod confessis à Canone vel Sacerdote imponitur. *c. ult. dist. 82.*

Voluntarium est, cum quis, ut se ad opera spiritualia reddat aptiorem, sponte suâ jejunat. *d. c. ult. de observ. jejun.*

Modus jejunandi à Pontificibus constitutus est, ut vel
semel

semel tantum in die cibus sumatur; five mane five vesperi; ut in quadragesima & quatuor temporibus. *c. solent. 50. de consecrat. dist. 1.* vel à cibus lautioribus abstineatur, *c. neophyti. 12. de consecrat. dist. 5.* ut carnibus, vino; *c. 2. ab exordio. dist. 35.* aridioribus tantum utatur. *c. non oportet. 8. de consecr. dist. 3.*

Species jejunii est abstinere ab iniquitate & voluptate illicita. *c. jejunium. 25. de consecrat. dist. 52.*

Erat & olim consecrationis *octavus effectus*; ut mulieres post partum ante purificationis tempus in Ecclesiam, secundum Legem Mosaicam, non admitterentur. sed hodie statim post partum admittuntur. *c. un. de purific. post. part.*

De Ecclesiarum unionibus.

TIT. XXIII.

Quia, ut supra titulo decimo nono diximus, una Ecclesia in plures justa de causa potest dividi; ita & sic rebus suadentibus, plures Ecclesie in unam possunt conjungi; ideo de *Unionibus Ecclesiarum* titulum subjungimus.

Res hoc suadere censetur, si aut *Necessarium*, aut *Utile*. *c. exposuisti. 33. §. si evidens. de prabend. & dignit.*

Necessarium; si ob paupertatem una ex illis, vel omnes, alienis suppetiis egeant; *c. 3. unio. in fin. 10. qu. 3. c. 49. postquam. 16. qu. 1.* singulæ singulos Sacerdotes alere nequeant: *d. c. unio. c. eam te. 4. in fin. de atat. & qual. & si propter hostium incurfus & terrores, vel etiam crebras infestasque hospitationes, altera Ecclesia sit desolata. d. c. postquam. 49.*

Utile est; si id locorum opportunitas vel temporum qualitas exposcat; ut si Ecclesie ad eò invicem vicinæ, ut facile unus Sacerdos omnibus possit sufficere. *c. 48. & temporis. 16. qu. 1.* si unius aut omnium populus sit oppido infrequens factus. *d. c. & temporis.*

Unire Ecclesias possunt, qualescunque Pontifex; *c. sicut unire. 8. de excess. Pralat.* in legatione sua sitas, nisi sint collegiatæ, Legatus ejus de latere: *c. pen. de offic. Legat. in 6. Caccialup. in tract. de union. art. 3. num. 11.* in Diœcesi propria existentes & ipsis subjectas, Episcopi: *d. c. sicut unire.* si quidem sint confirmati, licet nondum consecrati; *d. c. sicut unire. 8.* ex speciali mandato Episcoporum, Vicarii; *Caccialup. ubi sup. num. 23. Petr. Perus. tract. de union. cap. 4. num. 32.* Sede vacante, ita tamen ne juribus Episcopalibus quid detrahat, Capitulum: *Clem. I. §. ad hæc. de statu monach. Caccialup. ubi sup. num. 19.* His inferiores Prælati, Ecclesias, etiam pleno jure ipsis subjectas, unire non possunt. *Petr. ubi supr. num. 29. Caccialup. num. 20.*

Unionem tamen Episcopi sine consensu Capituli sui, *Clem. si una. 2. de reb. Eccl. non alien. Caccialup. art. 6. num. 1. eod. tract.* & Prælati inferioris, ad quem jus Ecclesiæ; quæ unitur, conferendæ spectat, *Clem. ne in agro. I. §. ad hæc. de statu monach. Caccialup. eod. num. 4.* facere non possunt: omnino sine consensu Rectoris qui Ecclesiam uniendam possidet. *d. Clem. si una. Petr. Perus. eod. tract. cap. 5. num. 5.*

Uniri ex Concilio Tridentino, *cap. 5. sess. 21.* possunt qualescunque Ecclesiæ Parochiales, Baptismales, & alia beneficia curata, vel non curata cum curatis; etiam si generaliter vel specialiter sint reservata (contra quam olim. *Petr. Perus. ubi sup. num. 24. & 25.*); non Ecclesiæ parochiales Monasteriis quibuscunque, aut Abbatibus, seu Dignitatibus, seu Præbendis Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, militiisve. *cap. 13. vers. in parochialibus. sess. 24.*

Uniuntur Ecclesiæ variè: vel ut *una alteri accedat*; vel ut *non accedat*; sed omnes principaliter jungantur; vel ut *uni Prælato omnes quidem subjiciantur*, sed & omnes in veteri statu maneat.

Si una alteri tanquam accessoria uniatur; illius cui
anne-

annectitur naturam, privilegium, consuetudinem assumit; propria jura amittit. *d. c. sicut unire. 8. d. c. & temporis. 48.*

Nulla si alteri accedat, non tantum omnes pristinam naturam, privilegia, consuetudines, jura retinent; sed & altera alterius privilegia nanciscitur. *dd. cc. & c. quod translationem. 4. de offic. leg. Petr. Perus. d. tract. cap. 1.*

Si Unio ita facta, ut omnes in veteri statu maneant; singularum dignitas non minus viget, ac si unio facta non esset: & sic diversæ Diœceseos Ecclesiæ uniri possunt.

Eâ tamen Unione neutri Episcoporum, quo minus uterque in sibi subjecta Ecclesia jus suum integrum retineat, fit præjudicium. *c. 2. de relig. domib. d. c. sicut uniri. d. c. quod translationem. d. c. & temporis.*

Sed hoc modo unius Diœceseos Ecclesiæ parochiales, aut simplicia beneficia, seu præstimoniam, aut præstimoniales portiones, ulla de causa alterius Diœceseos beneficio, aut monasterio, vel loco etiam pio, in perpetuum unire Concilio Tridentino vetitum. *cap. 9. sess. 14.*

Fit enim Unio vel *ad tempus*, vel *in perpetuum*.

Ad tempus facta censetur, si illud in Unione expressum; vel si ad vitam alicujus ea facta.

Ea, tempore, ad quod concessa, elapso, vel extincto eo ad cujus vitam concessa, dissolvitur.

In perpetuum unio facta intelligitur; si vel contemplatione Ecclesiæ, cui annectitur alia, vel ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, ut perpetua esset, sit expressum. *Petr. Perus. d. tract. c. ult.*

Hæc dissolvitur, si causa, ob quam facta, cessat; si illud Ecclesiæ aut necessarium, aut utile. *Perus. d. tract. cap. 1.*

Dissolutionem petere possunt omnes, quorum interest. *Perus. cap. 2. de revocat. union.*

Eam causæ cognitione, & his quorum interest adhibitis, *Perus. cap. 5. de revoc.* potest concedere, qui unire. *Perus. de revoc. un. cap. 5. num. 1. usque ad 12.*

Eâ concessâ, omnia in antiquum statum redeunt. *Cac-
cialup. Perus. dd. locc.*

De Immunitate Ecclesiarum.

T I T. XXIV.

Ecclēsia postquam divinis officiis dicata, vel consecrata, gaudet immunitatibus, eis Pontificum Decretis concessis.

Est *Immunitas*, vacatio muneris, à jure concessa.

Est vel *personalis*, vel *realis*.

Illa est, quæ personis tribuitur; puta Clericis; ut scilicet à Jurisdictione Laïcorum, & muneribus personalibus sint liberi. *c. non minus. 4. hic. c. 40. generaliter. 16. qu. 1. c. 6. cui portio. 12. q. 1. c. si Imperator. 11. dist. 96. vide supra. tit. de privileg. Cleric.* Nisi aut *pietas*, ut in tutela & cura miserabilium personarum; aut *necessitas*, ut in muro- rum custodia, belli, tumultus, seditionis tempore; aliud suadeat. *c. pervenit. 2. hic. c. 15. si nulla. 23. qu. 8.*

Hæc est, quæ tribuitur rei; ut Ecclesiæ, cœmeterio, & rebus Ecclesiasticis.

Ecclesiæ & cœmeterio tribuitur; Quod in iis nec possunt causæ criminales, *c. cum Ecclesia. 5. hic.* nec civiles, vel canonicæ, exerceri; nec Judices laïci hospitium quærere; *c. 1. eod.* nec publicæ quarumlibet societatum, universitatum conciones, consilia nundinarum, aliorumque secularium tractationes, confabulationes, foeda & profana colloquia, & alia quæ cultum divinum turbare vel impedire, aut divinam Majestatem possint offendere, haberi; *c. decet. 2. hic. in 6.* Quod ab iis, si liber homo ad eas confugit, ad mortem aut aliam pœnam corpoream, quodcunque crimen patrârit, extrahi non possit; Nisi vel publicus latro sit, vel nocturnus agrorum depopulator, quive itinera frequentata, & vias publicas, insidiis in viatores paratis, obfideat. *c. inter alia. 6. hic.* Nisi quis spe impunitatis homicidium, aut membri mutilationem in Ecclesiis ipsis pa-
trare

trare ausus fuerit. *c. fin. eod.* Si servus ad eas, quia servitia domino præstare detrectat, confugit, domino petenti reddi debet; si ob domini sævitiam confugit, itidem reddi, præstito tamen prius à domino juramento de impunitate ejus; si non reddatur, propriâ auctoritate potest extrahi. *d. c. inter alia. 6.*

Quæ immunitas non tantùm Ecclesiis consecratis, sed & non consecratis, si quidem in iis divina celebrantur officia; *c. Ecclesia in qua. 9. eod.* non tantum Ecclesiis ipsis, sed & circumjacenti loco, intra triginta ab Ecclesiæ januis passus, tribuitur; adeò ut ad Ecclesias confugientem, vel intra triginta passus consistentem, violenter abstrahens excommunicetur, aliisque pœnis legitimis plectatur. *c. 35. definiuit. c. 10. frater. c. 5. sicut. c. 36. constituimus. c. 20. si quis contumax. 17. qu. 4.*

Rebus Ecclesiasticis immunitas tribuitur; ut ab onere tributorum, aliarumque exactionum, quæ à potestate seculari imponuntur, sint exemptæ; adeò ut qui iis ea imponunt, aut exigunt, excommunicentur. *c. 1. §. volentes. eod. in 6. & c. 4. & 7. hic. c. quanquam. 4. de censib. in 6.*

Si tamen magna sit in Republica necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas, possunt, non coguntur, Clerici, consulto Pontifice, laicis subvenire. *c. adversus. 7. §. verum. hic.*

De religiosis Domibus.

TIT. XXV.

Res sanctas sequuntur *religiosa*; quæ piis usibus sunt destinatæ; ut, *religiosa domus, sepultura.*

Religiosa domus, (aliter & hospitales, *c. 23. in qualibet. §. sancimus. c. sancitum. 23. qu. 8.* vel eleemosynariæ, *Clem. 2. de præbend. dictæ.*) sunt, quæcunque religionis, vel pietatis intuitu, sunt extructæ.

Tales sunt, *Xenodochia*, ubi peregrini pauperes recipiuntur;

piuntur; *Orphanotrophia*, ubi orphani, hoc est, parentibus orbat, nutriuntur; *Brephotrophia*, ubi pauperum, & expositi infantes aluntur; *Nosocomia*, in quibus ægroti pauperes à morbo curantur; *Gerontocomia*, ubi Senes & Valerudinarii sustentantur. *d. c. 23. in qualibet. §. sancimus. 23. qu. 8.*

Hæ omnes sub ejus Episcopi potestate sunt, in cujus territorio sitæ. *c. 10. omnes Basilica. 16. qu. 7.* Nisi singulari privilegio se exemptas docere possint. *c. cum venerabilis. 7. hic.*

Quo tamen privilegio, nec capellæ ei subjectæ gaudent; nec, si certæ rei vel loci ratione, hoc privilegium concessum, aliæ res, aut loco alio, *c. cum capella. 16. de privileg.* eo potentur.

Possunt etiam Episcopi, hoc privilegio non obstante, si harum domuum Rectores res earum collabi sinant, eas salubriter reformare; & si quæ occupata, alienata, deperdita sint, ea, ut in pristinum statum redigantur, procurare; contradictores censurâ Ecclesiasticâ & aliis remediis compefcere. *Clem. 2. in princ. hic.*

Si privilegium non habent; potest Episcopus in eis, hominibusque illis deputatis, exercere ea quæ sunt legis diœcesanæ; & ea quæ juris Episcopalis, vel jurisdictionis contentiosæ: *c. 17. monasteria. 18. qu. 2. & Hostiens. hic.* inprimis attendere debet, ut ea, quibus constitutæ sunt, observentur, *c. de Xenodochiis. 3. eod.* ad profanos usus non convertantur; *c. ad hæc. 4. eod.* nec clericis, licet consuetudine id fuerit aliàs observatum, in beneficium conferantur; *Clem. 2. §. ut autem. eod.* de bonis & honestis Rectoribus iis provideatur; *d. Clem. 2.* ita tamen, ut ab iis juramentum exigatur; & inventaria de bonis conficiantur, singulis annis de administratione rationes reddantur. *d. Clem. 2. §. 1. vers. illi etiam.* Nisi sint hospitalia ordinum militarium, aut aliorum religiosorum; hos enim, ut ordinum institutiones & consuetudines observent, cogere debet. *d. Clem. 2. §. præmissa.*

De

De Monasteriis.

T I T. XXVI.

Species religiosæ Domus, est *Monasterium*, seu claustrum.

Hoc ei Episcopo est subjectum, in cujus Diœcesi est situm; *c. cum venerabilis. 7. & c. pen. de relig. domib. nisi privilegio se ejus jurisdictione esse subtractum prober. c. 2. eod.*

Quo casu monasterium quidem est exemptum, non capellæ ei subjectæ. *c. ex ore. 17. de privileg.*

Possunt etiam Episcopi, quamvis monasteria sint exempta aut privilegiata, si Abbates & Præpositi sint negligentes, ad morum, secundum eorum regulam, reformationem procedere. *c. 1. visis. 16. qu. 2. c. quanto. 7. de offic. Ordin.*

Monachi ex monasterio exempti ad Prioratus Ordinariis subjectos translati, Ordinariis, quamdiu ibi manent, subjacent; *c. 1. §. in eos. de privileg. in 6.* Imo extra monasterium degentes, coram locorum Ordinariis, in causis mercedum civilibus & miserabilium personarum, conveniri possunt. *Concil. Trident. cap. 14. sess. 7.*

De Sepulturis.

T I T. XXVII.

Sepultura, sunt res religiosæ; si quidem sint in cœmeterio Ecclesiastico factæ.

Non enim hoc jure, ut civili, quisque locum religiosum potest facere: sed tantum Episcopus, *cap. ad hac. 4. de relig. domib. Innoc. ad c. abolenda. 13. hic. purum locum consecrando.*

Sepeliri quisque debet in Ecclesia parochiali, vel ubi majorum suorum sepulcra constituta reperiuntur, aut quem locum, etiam minus religiosum, *c. 2. §. fin. hic. in 6.*
ipse

ipse delegerit. *c. 7. placuit. 13. qu. 2. c. 1. & c. fraternitatem. 3. hic. c. is qui. 8. c. licet. 4. eod. in 6.* nullâ inter virum & mulierem factâ hic distinctione. *c. de uxore verò. 7. eod.*

Quæ tamen, sepulturâ non electâ, cum viro ultimo, si plures habuerit, sepelienda; utpote cujus domicilium & honorem retinet. *c. 3. §. fin. eod. in 6.*

Eligere sepulturam quisque potest; Nisi sit filius familias impubes, *d. c. de uxore. §. fin.* quem pater, si id loci consuetudo patiat, ubicunque voluerit; si non id patiat, cum majoribus suis, vel in Ecclesia parochiali, debet tumulare: *c. pen. eod. in 6.* Nisi sit religiosus, qui apud proprium monasterium sepulturæ tradendus: Nisi, cum moritur, adeò sit remotus, ut commodè ad illud exportari nequeat. *c. fin. eod. 6.*

Sepulturam si quis in locis religiosorum ordinum Minorum aut Prædicatorum elegerit, eam illi concedere possunt, modo quartam partem funeralium omnium & quarumcunque obventionum sibi relictarum, ac omnium de quibus portio Canonica alioquin esset detrahenda, Parochæ Ecclesiæ solvant. *Clem. dudum. 2. hic. c. detestanda. Ext. hic. c. inter cunctas. 1. Ext. de privileg.*

Nullis Clericis quem ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ, vel alias promittendum, ad sepulturam in eorum Ecclesiam eligendam, vel electam non mutandam, inducere permittitur; si fecerint, ejus Ecclesiæ sepultura accipienda, cui sepeliendi jus competeat: Clerici cadaver sepultum petentibus, & omnia ejus occasione accepta intra decennium debent restituere. *c. 1. hic. in 6.*

Debitè electâ sepulturâ, ea ubi defunctus elegit fieri debet, præstitâ tamen Ecclesiæ à qua divina officia audire, & Ecclesiastica Sacramenta recipere consuevit, Canonicâ suâ portione. *c. 2. ubi Gl. eod. in 6.*

Ea de jure est ejus, quod pro anima sua, Ecclesiæ in qua sepeliri voluit, reliquit, quarta, ex consuetudine modò tertia, modò dimidia. *c. 1. ubi Gl. & c. certificari. 9. eod.*

Ea,

Ea, si quis duo habens domicilia, & æqualiter in utroque se collocans, tertio in loco sepulturam delegerit, inter amborum domiciliorum Ecclesias dividetur. *c. 2. vers. cum ab eo. eod. in 6.*

Sepulturâ non electâ, quisque in cœmeterio parochialis suæ Ecclesiæ, vel ubi decimas solvit, vel ubi sepulcra majorum, *c. 1. hic. c. 3. §. 1. eod. in 6.* non in aliis, debet sepeliri. *c. ex parte. §. c. cum liberum. 6. c. in nostra. 10. hic. c. 6. ubicunque. §. si autem. §. quia ergo. §. fin. 13. qu. 2.*

Si quis domicilium transfert, in loco ad quem transfert est sepeliendus. *d. c. ubicunque. §. fin.* Nisi ad tempus transulerit. *c. is qui habet. 3. hic. in 6.*

Sepultura non in Ecclesia, sed in atrio vel porticu, vel extra Ecclesiam in cœmeteriis fieri debet. *c. 15. præcipiendum. in fin. c. 16. quibus. c. 18. nullus. 13. qu. 2.* Nisi Episcopus, Abbas, Presbyter, vel Laïci honoratiores & fideles sepeliantur. *d. c. nullus.*

Fieri debet sepultura Ecclesiasticè, more & solennitatibus consuetis; puta cum lumine, psalmis, & sacris orationibus, *c. 28. qui divina. 13. qu. 2.* & oblatione, ubi fit defuncti commemoratio, *c. 12. placuit ut. 23. qu. 5.* isque in loco consecrato terrâ operitur, accedente aquâ benedictâ, & plerumque thurificatione, convocazione cleri, *c. 1. §. caterum. vers. porro. de privil. Ext. commun. & populi.*

Sic tamen non omnes sepeliri debent; nam quibus non communicamus vivos, nec defunctis communicare debemus. *c. sacris. 12. in princ. hic.*

Non ergo Ecclesiasticâ sepulturâ sepeliuntur excommunicati. *c. quicunque. 2. in princ. de haret. in 6. c. Episcoporum. 18. verb. aut excommunicatos. de privileg. in 6. interdicti, d. c. Episcoporum. verb. vel interdictos. & c. quod in te. 11. §. 1. de pœnitent. usurarii manifesti, c. 2. in princ. usque ad §. nullis. de usur. in 6. Judæi, Pagani, Hæretici; c. Ecclesia. 8. de consecrat. dist. 1. qui decimas Ecclesiæ debitas possidens non restituit, & prohibemus. 19. de decim.*

qui

qui nova vectigalia sine Principis consensu imposuit; *c. innovamus. 10. de censib.* sacramentum pœnitentiæ quotannis, sacramentum Eucharistiæ cum posset, in quolibet festo paschatis, resurrectionis, non suscepit, *c. omnis utriusque. 12. de pœnit. & remiss.* fures, latrones; *c. 2. de furt. raptores, c. 2. de raptoribus.* qui in torneamentis pugnandi animo accedens, *c. 2. de torneam.* decessit; *c. 1. in fin. eod.* se ipsum interimens, *c. 12. placuit. 23. qu. 5.* propter sua scelera & delicta morte affectus; *d. c. sacris. 12. hic.* exenteratus, seu cujus ossa à carne elixatione sunt separata, alio transferenda; *c. 1. hic. Ext. com.* qui Presbyterum contra Ecclesiæ prohibitionem tutorem reliquit; *can. neque apud. 14. dist. 88.* in Deum & Sanctos blasphemus, *c. 2. de maledicis.*

Qui tamen puram egerunt confessionem, ac dignam pœnitentiam, eis nec communio, nec ecclesiastica sepultura denegatur. *c. quasitum. 30. caus. 13. qu. 2. c. fin. hic.*

Si non pœnituerint, & eorum cadavera vel vi vel casu fuerint ecclesiasticè sepulta, ea, si ab aliorum corporibus discerni possunt, aliàs non, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactari; *d. c. sacris. 12. cœmeterium* ita pollutum, priusquam alii Christiani ibi condantur, jure antiquo, reconciliari. *c. consulisti. 7. de consecr. Eccl. vel Altar.*

Qui ea Ecclesiasticæ sepulturæ dederunt, ipso facto excommunicantur, & manent tales, donec ad arbitrium Episcopi Diocœfani, ei cui injuria fuit irrogata, satisfecerint; nullo eos privilegio adjuvante. *Clem. 1. & 2. hic.*

De Præbendis & dignitatibus.

TIT. XXVIII.

Absolutis rebus Spiritualibus corporalibus, transeamus nunc ad res *Spirituales incorporales.*

Æ sunt, quæ in iure consistunt; ut *præbenda, jus patronatus,*

natus, census, exactio, procuratio, canonica portio. De quibus ordine tractabimus.

Præbenda, est jus percipiendi redditus Ecclesiasticos, ratione divini officii, cui quis insistit.

Alia est *canonicatui annexa*, alia *sine ea* confertur. *Gl. in c. cum M. Ferrariensis. 9. in verbo receperunt. de constit.*

Præbendam, *beneficium & titulum* nihil reipsa interest; usu tamen loquendi in alia Ecclesia vocatur *præbenda*, in alia *beneficium*, seu *titulus*. *secund. Pac. Isag. Decret. hoc tit.*

Introductus *præbendæ* usus, ut qui in Ecclesia debitum servitium præstat, ab eadem Ecclesia, pro dignitate & officio sufficienter sustentetur. Qui enim altari servit, de altari vivere debet. *c. ex his. 22. caus. 12. qu. 1. c. 67. Ecclesiasticis. 12. qu. 2.*

Hinc Episcopus, qui aliquem sacros ad ordines promovit, nullâ ei *præbendâ* assignatâ, cum ipse, vel ejus successor, *c. cum secundum. 16. hic.* ex propriis facultatibus, nisi is sit locuples, alere debet, donec certum ei titulum contulerit. *c. 2. & 4. & c. tuis questionibus. 23. hic.*

Quod onus etiam incumbit ei, qui ex potestate sibi generaliter tradita Clericos ad sacros Ordines sine titulo evehit; qui certas personas ad Ordines evehi mandavit; vel eis jus, ut ab aliis possint promoveri, fecit. *c. si Episcopus. 37. eod. in 6.*

Eâdem ratione, qui ad *Canonicatum* est receptus, quamprimum se facultas obtulerit, & *præbendâ* gaudere, *c. relatum. 9. in fin. ubi Gloss. hic.* interim distributiones quotidianas percipere, debet, *d. c. relatum. 9. & c. dilectus filius. 19. ubi Gl. eod.*

Is cui *præbenda* data, aliquando in dignitate esse dicitur.

Est *dignitas*, prærogativa personæ Ecclesiasticæ, quâ prædiri Prælati appellantur, & habent jurisdictionem Ecclesiasticam; ut, *Archiepiscopatus, Episcopatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Abbatia, Prioratus.* *c. de multa.*

multa. 28. hic. c. 3. de offic. ordin. c. 2. & ibi Gl. c. ult. de judic. c. reprehensibilis. 26. de appellation.

Dignitas & personatus pro eodem accipiuntur; *c. cum accessissent. 8. de constit.* sed fortasse pro loquendi consuetudine, alibi vocatur dignitas, alibi personatus. *Panorm. c. 28. de multa. num. 21. hic.*

Præbenda omnis tribus modis erigitur; *fundatione, restitutione, immutatione.*

Fundatione: cum de novo fundatur. *Clem. fin. de rescr. c. dilecto. 25. de prabend. c. 1. de verb. signif. in 6. c. ad audientiam. 1. & 2. de Eccles. adif.*

Restitutione; cum beneficium extinctum vel suppressum in pristinum statum restituitur: *ut in c. ex parte. 12. de constit. c. cum M. 9. eod. vel unita beneficia dissolvuntur. ut in c. 1. ne sede vacant.*

Immutatione; cum forma beneficii & qualitas mutatur: ut si Abbatia fiat Episcopatus; Episcopatus Archiepiscopatus; *ut in c. Salvator. Ext. hic. regulare fiat seculare; vel contra. ut in c. inter quatuor. 5. de relig. domib. c. ad audientiam, in 2. de Eccles. adif. can. 4. qua semel. 19. qu. 3. can. 20. pervenit. 18. qu. 2.*

Erigere beneficia possunt *summus Pontifex, Episcopus, Capitulum, Privatus.*

Summus Pontifex solus erigit beneficia majora; ut Episcopatus, Archiepiscopatus, & similia. *c. sicut unire. 8. de excess. Pralat. c. quod translationem. 4. de offic. Legat. in Ecclesiis collegiatis novas & inusitatas dignitates ponit; not. ad c. cum olim. 6. de consuet. Felin. ad d. c. cum accessissent. ex regularibus secularia facit; can. qua semel. 19. qu. 3. Canonicatum supernumerarium ad effectum, dignitatem, vel officium, vel administrationem in Ecclesia obtinendi, creat; §. fin. de reservat. in concord. fac. c. dilecta. 25. de prabend. in locis exemptis alia beneficia dat. c. auctoritate. 4. de privileg. in 6.*

Episcopus in sua diœcesi (in aliena enim habetur pro privato. *c. 1. si quis Episcoporum. 16. qu. 5.*) omnia minora bene-

beneficia, Capituli sui consilio adhibito, creat; *c. nemo. 9. de consecr. dist. 1. ex seculari regularem facit; can. 78. si Episcopus. 12. qu. 2. c. inter. 5. de relig. domib. non contra; d. can. qua semel. & c. inter quatuor. 5. de relig. domib. nisi auctoritate Papæ: ut in c. cum venerabilis. 21. de censib. & c. relatum. 7. ne cler. vel monach. & c. aut nisi aliter quam per subrogationem Clericorum secularium regularis reformari non possit; d. c. inter quatuor. 5. at dignitates uti-
tatas, in aliis, & in sua Ecclesia, creat. d. c. cum olim. 6. de consuet.*

Capitulum tantum præbendam in specie dictam creat, & suppressam dignitatem restaurat. *d. c. cum accessissent. 8. de constit. c. dilectus. 19. hic.*

Privatus beneficium erigit, non per se, sed licentiâ & Episcopi auctoritate accedente: *c. nemo. 9. de consecr. dist. 1. eâ non accedente, privata oratoria construit & dotat. can. unicuique. 33. eod. dist. 1. c. patentibus. 8. de privil. c. fin. de censib.*

In erectione beneficiorum debent observari *locus, causa, persona, dos, Ecclesia.*

Locus; ut is sit beneficii qualitati conveniens & congruus. *can. 28. Ecclesias. 16. qu. 7. can. Ecclesias per congrua. 13. de consecrat. dist. 1. cap. Salvator. 5. de præbend. Ext.*

Causa; ut sit legitima; videlicet gentem de novo esse ad fidem conversam; *can. 2. nulli Archiepiscopi. dist. 99. Ecclesiam erectam, difficulter aut nullo modo hiemali tempore adiri posse; vid. c. 3. de Eccl. adif. novam ex devotione fidei & pietatis, non ob quæstum. can. si quis basilicam. 10. de consecrat. dist. 1. aut per superstitionem, c. placuit. 26. de consecrat. dist. 1. ædificari.*

Persona; ut eorum, quorum interest fieri aut non fieri beneficium novum, consensus adhibeatur. *c. ad audientiam. 3. de Eccl. adif. Clem. 2. de reb. Eccl. non alien. can. 51. multis. 16. qu. 1.*

Dos; nempe ut sufficiens constituatur; *can. cum sicut. 8. de*

de consecr. Eccles. c. 26. pia mentis. 16. qu. fin. ex qua puta possint beneficiati sine magna penuria vivere, jura Episcopalia solvere, hospitalitatem transeuntibus impertiri. *can. 2. de suppl. neglig. Pral. c. de monachis. 12. de præbend. can. 7. cavendum. can. 9. relatum. 10. qu. 3.*

Ecclesia; ut ea publicè designetur, facta ab Episcopo consecratur. *juxt. form. in can. nemo. 9. de consecr. dist. 1. vide qua sup. tit. de Eccles. adif. & seq. diximus.*

Erecta beneficia curæ & solitudini ejus Episcopi relinquuntur, in cujus Diocesi sunt. *can. 10. omnes basilica. 16. qu. 7. can. obitum. 16. dist. 61.* nisi ab ea privilegio aliquo sint exempta; *c. cum & plantare. 3. de privil. c. 2. de supplend. neglig. Pralat. quæ Pontificis summi dispositioni subsunt. can. præposuit. 4. de concess. præbend.*

De Collationibus.

T I T. XXIX.

Diximus superiori titulo, quomodo beneficia erigantur: videamus nunc, quomodo erecta quis adipiscatur.

Quod fit vel *Collatione*, cum præbendæ sunt liberæ; vel *Institutione*, cum non sint liberæ, sed in aliquorum tutela aut patrocinio.

Collatio est libera quædam præbendæ concessio.

Fit vel *ordinariè*, vel *extraordinariè*.

Ordinariè; cum eam faciunt Episcopi, Capitulum, alique Prælati, sive Seculares, sive Regulares, ex lege, vel ex consuetudine, facultatem præbendas concedendi habentes. *c. postulastis. 15. accedens. 14. c. cum nostris. 6. concess. præbend.*

Consuetudo ante omnia attendenda. Nam si ex ea *Capitulum solum* conferre soleat, soli hoc jus ei permittetur; nisi per sex menses id differat: tum enim Episcopus, consilio virorum religiosorum adhibito; aut si & is negligens, Metropolitanus negligentiam supplebit: *c. ex parte. 10. ubi Abb. eod.* Si *Prælati cum Capitulo*, utriusque factum

ctum & consensus exigitur. *c. 1. in princ. Ne sede vacant. in 6.* Nisi in altero sit impedimentum mortis, suspensionis, excommunicationis majoris. *d. c. 1. in princ. c. un. Ext. eod.* Si *Episcopus solus, sed cum consilio Capituli*; hoc se non potest intromittere, nisi Episcopus justo impedimento non impeditus, per sex menses, à die notitiæ, non vacationis tempore, numerandos, collationem differat. *c. 2. in fin. eod.*

Extraordinariè fit collatio, vel ex mandato Legati, vel rescripto Pontificis.

Circa *Legatos* (qui triplices sunt; *missi, nati, vel de latere. supra de offic. Legati.*) est differentia: *Legati enim missi vel nati*, vigore suæ legationis non conferunt, nisi ipsis specialiter concedatur: *Legatis verò de latere*, sine speciali concessione, etiam Ecclesiastico Patrono invito, conferendi facultas competit. *c. dilectus. 6. de offic. leg. c. 1. eod. in 6.*

Nisi officium ejus sit finitum; tunc & simul ejus reservatio finitur; si quidem durante officio ad Collationem non sit progressum: *c. 3. vers. dummodo ad collationem. de offic. Leg. in 6.* Nisi unâ ejusdem Legati reservatione pendente, in eadem Ecclesia faciat aliam: *d. c. 3. §. ceterum.* Nisi Ecclesiam cathedralem, regularem vel collegiatam, ejusve dignitatem electivam conferat. *c. deliberatione. 4. in princ. usque ad §. prohibemus. eod. in 6.*

Pontifex collationem facit, cum vel *motu proprio*, vel ad alterius petitionem, aliquem de beneficio aut præbenda provideri, rescripto mandat.

Motu proprio id censetur facere; si id expressum. *c. si motu. in fin. 23. de præbend. in 6.*

Hoc si factum; valida erit provisio, licet impetrans, beneficium quod obtinet, tacuerit. Si plura beneficia in eadem Ecclesia simul vacant, & aliud alio sit majoris valoris, hoc censetur collatum; si omnia sint æqualia, intra decem à tempore scientiæ eas vacare dies potest eligere is cui confertur. *c. si pluribus. 24. de præbend. in 6.*

Ad *petitionem alterius* si gratia facta: Nulla erit provisio, ut surreptitia, si scienter beneficium quantumcunque modicum taceatur: Si plures in eadem Ecclesia vacant præbendæ, fit relatio ad eam quæ minoris censebitur valoris: Si sunt æquales, ad eam, quam is ad quem collatio ipsarum spectat, intra decem dies à tempore scientiæ gratiam concessam, elegerit. *d. c. si pluribus. 24.*

Sunt & inter *Pontificem, Legatum, & Ordinarium*, circa collationis potestatem, gradus quidam. Potest enim *Episcopus*, & alius *Prælatus*, præbendas, in suo territorio vacantes, conferre, non vacaturas: *c. 2. de concess. præbend. Legatus*, non intra legationis suæ terminos vacantes, sed vacaturas reservare: non alicui in eis jus tribuere: *Pontifex* non modo ubicunque vacantes donare, vacaturas reservare, sed in vacaturas jus tribuere. *c. 2. de præbend. in 6. c. significasti. 4. de elect. c. proposuit. 4. de concess. præbend.* Debet *Ordinarius & Legatus* collationem facere purè: *c. 2. de elect. in 6. c. 20. per laicos. 16. qu. 7.* Potest *Pontifex* purè, adjectâ die, & sub conditione. *c. pastoralis. 7. qu. 1.*

Purè; ut cum mandat simpliciter, ut alicui de præbenda provideatur.

Die adjectâ; ut cum præbenda confertur; quam quis intra mensem, aut alio tempore, à vacationis notitia, acceptandam duxerit. *Clem. un. §. secus. de concess. præb.*

Vacationis notitiam habere intelligitur, si vacatio in loco vel Ecclesia hujusmodi beneficii fuit nota. *d. Clem. un. §. secus.*

Sub conditione; cum collationi conditio adjicitur: ut, cum alicui de beneficio provideri committitur; si executor eum vitæ laudabilis esse invenerit; si consensus Capituli accesserit. *d. Clem. un. in princ.*

Conferri præbendæ possunt præsentibus, absentibus per alium, *c. accedens. 24. de præbend. nobilibus, ignobilibus, c. venerabilis. 37. eod. in sacris constitutis, & non constitutis, c. ult. de Instit. in 6. c. si pro clericis. 8. de præbend. in 6.*
sed

sed non nisi iis qui sunt idonei; id est, qui servitium, ob quod conferuntur eæ, præstare possunt.

Tales non censentur; Laïci, *c. quamvis. 17. de decim.* Clerici seculares ad monasteriorum præbendas; *c. ult. §. precipimus. de statu monach. c. inter quatuor. 5. de religios. dom. Pueri; c. super. 35. de præbend. Hæretici, eorum fautores, receptatores, c. quicumque. 2. §. hæretici. de hæret. in 6. liberi usque ad generationem secundam: d. c. quicumque. §. hæretici. vers. ipsorum filii. c. statutum. 15. eod. in 6. Beneficium habentes. c. super. 35. vers. & beneficiati. de præbend. c. quia nonnulli. 3. de cleric. non resid.*

Præbendæ tantum eæ conferri & promitti possunt, quæ vacant; non aliæ. *c. 1. c. nulla. 2. in princ. c. relatum. 3. c. ex tenore. 13. c. ult. de concess. præbend. c. 40. eum qui. 7. qu. 1.* Nisi non vacantis Ecclesiæ proprietas alienetur; *c. consultationibus. 4. de donation.* Nisi generaliter de præbenda vacatura; non hac, vel illa, alicui promittatur; *c. accedens. 14. de concess. præbend. c. ne captanda. 3. eod. in 6.* Nisi antea alii non fuerit rectè assignata; *c. proposuit. 4. de concess. præb. c. ult. de jure patron. c. ex ore. 3. §. quia vero. de iis quæ fiunt à major. part.* Nisi prior cui præbenda concessa, aliam nactus fuerit; *c. cum in cunctis. 7. §. cum vero. de elect. c. cum nostris. 6. c. literas. 9. de concess. præb.* Vel si de ea acceptanda nondum declaraverit; *c. si tibi. 17. de præbend. in 6.* modò consensui tempus sit præstitutum; *d. c. si tibi. vers. ipse tamen Episcopus.* sciverit; aut, quia publicè notum, debuerit scire; tempus, intra quod consentire debuit, lapsum esse. *Clem. un. §. fin. de concess. præb.*

Vacare præbenda censetur, si nulli collata, licet de ea ei conferenda purè, non sub conditione, *d. Clem. un.* sit mandatum. *c. 1. eod. in 6.* Nisi mandatum sit præsentatum, *c. si capitulo. 5. eod. in 6.* & executor ad providendum datus. *c. si soli. 6. eod. in 6.* inhibitio specialis, ratione mandati ab executore sit facta. *d. c. si soli. 6. vers. aut executor. item c. executor. 4. §. fin. eod. in 6.*

Mandatum de beneficio conferendo strictam recipit interpretationem. *c. cum in illis. 16. de prabend. in 6.* Nisi motu proprio sit factum. *vide supra.*

Hinc de beneficio conferendo mandatum, continet simplex, non quod dignitatem annexam habet; *c. ult. de prabend. non curatum; d. c. cum in illis. 16. in pr. usque ad §. illis verò. eod. in 6.* non hospitalia, & similia, horumque Ecclesias; *Clem. per literas. 2. eod.* non Ecclesiam Cathedralē, licet verbum Ecclesiæ in eo expressum; *c. quamvis. 4. §. quanquam. in fin. eod. in 6.* non beneficium ex consuetudine Episcopo debitum. *c. cum in Ecclesia. 25. eod. in 6.*

Mandatum de dignitate conferenda non continet eam, quæ per electionem datur. *d. c. cum in illis. 16. §. illis verò. Clem. 1. §. ad hoc. eod.*

Mandatum de certi modi vel generis beneficio conferendo, ad alterius modi vel generis beneficium non extenditur. *d. c. cum in illis. 16. §. cum autem.*

Mandatum de conferendo beneficio ad Mandatarii collationem pertinente, non continet beneficium per ipsius negligentiam ad alium devolutum. *Clem. si de beneficio. 5. eod.*

Mandatum de beneficio certæ summæ conferendo non pertinet ad pensionem. *d. c. quamvis. 4. in princ.*

Mandatum de beneficio vacaturo conferendo, non continet beneficium noviter institutum: *Clem. ult. de rescript. comprehendit regulariter primum vacans. c. mandato. 10. de prabend. in 6.* si simul plura vacare cœperint, ordo scripturæ spectandus. *d. c. mandato. vers. si verò plura.*

Quod si is, cui de beneficio vacaturo provideri mandatur; illud, cum vacat, negligat petere, non poterit postea aliud petere, nisi in Canonicum fuerit receptus. *c. si clericus. 11. eod. in 6.*

Beneficia omnia Ecclesiastica sine deminutione conferri debent. *c. un. ut Eccl. benef. sine demin. confer.*

Proinde

Proinde non possunt dividi: *c. majoribus. 8. de præbend.* nisi adeò sint ampla ut pluribus sufficere possint. *c. vacante. 16. eod.*

Tantum enim conferri debet, quantum oneri ac dignitati Ecclesiasticæ sustinendæ sufficit. *c. extirpanda. 30. in princip. de præbend. c. 1. eod. in 6.*

Hinc Collator fructus beneficii retinere non potest: nisi ante collationem unà cum Capitulo statuerit; ut fructus ob justam & necessariam causam ad tempus retineantur. *c. un. vers. unde credimus. ut Eccles. benef. sine demin. conf.*

Conferri beneficia debent intra sex menses ab eo tempore quo vacare cœperunt. *c. nulla. 2. §. cum verò. de concess. præb. c. de multa. 28. §. is quoque. de præb.*

Beneficia tamen, quæ in Curia Romana vacant, solus Pontifex intra mensem à die vacationis conferre debet. si non facit; Ordinarius, vel ipse, vel ex Canonico mandato ejus Vicarius. *c. statutum. 3. eod. in 6.*

In Curia Romana vacare intelliguntur ea beneficia, quæ Sedi Apostolicæ reservata; ut sunt eorum, qui ratione officii, vel ex causa legitima in Curia Romana morantur ibi vel in locis vicinis, aut ab ea, negotia Sedis Apostolicæ curaturi, emissi, moriuntur; qui ad Curiam Romanam accedentes, vel ab ea recedentes, in loco ubi Curia residet, aut in locis à Curia itinere duorum dierum non remotioribus, decedunt; *c. presenti. 34. eod. in 6.* eorum qui ad Patriarchalem, Episcopalem Ecclesiam, monasterii regimen assumti; aliud beneficium assecuti. *Extr. ad regimen. & Extr. ad Romam. de præbend. & Extr. ex debito. de elect. in 1. reg. & seq. Cancell. Cathedralis Ecclesiæ; & multa alia, quæ hic enarrare nimis esset longum. vid. 1. reg. Cancell. usque ad 8. & ibi Gomes.*

Collatione factâ, aut mandato Pontificis de præbenda conferenda, competit actio benefitialis, quâ impetrans eam petere & persequi potest. *c. inter cetera. 17. de præbend.*

Si duo eodem die præbendam impetrarunt, unus ab Ordinario, alter à Legato aut Pontifice, nec appareat, uter impetraverit, possidens præfertur: si nullus possidet, actio competit ei, qui à Legato aut Pontifice impetravit. *c. si à Sede. 31. eod. in 6.*

Diverfo tempore, si duo de præbenda vacante vel vacatura mandatum impetrarunt, prior impetrans posteriori præfertur. *c. eum. 7. c. quia saepe. 15. eod. in 6.* Nisi contraria mandantis voluntas probetur; *d. c. quia saepe. c. auctoritate. 7. de concess. præbend. in 6.* Nisi vacante dignitate, cui præbenda annexa, prior præbendam tantum, posterior dignitatem cum præbenda impetraverit; *d. c. quia saepe. 15.* Nisi prius mandatum fuerit generale, posterius de certa persona speciale; *c. dudum. 14. de præbend. in 6.* Nisi cum diversis conditionibus impetrassent, posterioris conditio prior extiterit. *c. suscep. 6. §. fin. de rescript. in 6.*

Proceditur in causis quorumcunque beneficiorum simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii. *Clem. dispendiosam. 2. de iudic.*

Quibus modis beneficia vacant.

TIT. XXX.

Diximus superiori titulo, conferri tantum posse beneficium vacans: videndum nunc, quæ beneficia vacare dicantur.

Vacare dicuntur ea, quæ à nullo possidentur; vel possidentur quidem, sed non jure.

Hoc trifariam potest contingere: Vel *de jure & de facto*: vel *de jure tantum*, non de facto; vel *de facto*, non de jure.

De jure & de facto; Beneficiati morte: *c. 2. vers. ne desiderare. de concess. præbend. c. 3. & 4. de postul. pralat. aut renunciatione, c. in presentia. 6. de renunc. sive simplici, sive permutationis causâ factâ; c. susceptum. 6. de rescript.*

in 6.

in 6. c. un. de rer. permut. in 6. aut degradatione, c. novimus. 27. de verbor. signific. c. 2. de pœn. in 6. c. gravem. 15. de excess. prel. aut translatione, c. 2. in fin. & c. 4. in fin. de postul. pralat. absque Pontificis auctoritate facta. c. quanto. 3. de translat. Episcop. & tunc liberè conferri potest. c. 2. vers. cum verò. cum sim. de conc. preb.

De jure tantum, non de facto: Electione ad Episcopatum, & confirmatione ejus, qui beneficium habebat; c. cum in cunctis. 7. de election. c. cum nostris. 6. & c. literas. 9. de concess. prebend. Acquisitione beneficii curam vel dignitatem annexam habentis. c. re multa. 28. ubi Abb. 3. no. de preb. Extr. execrabilis. eod. Negligentia intra annum sacerdotales ordines accipiendi, ab eo, cui parochialis Ecclesia collata; c. commissa. 35. & c. licet. canon. 14. de elect. in 6. & tum recte vacans beneficium in personam idoneam conferetur. c. cum nostris. 6. & c. literas. 9. de concess. prebend. & dd. cc. Intitulati delicto; ut Simonia manifestæ, c. insinuatum. 13. de simon. hæresis, c. ad abolendam. 9. de hæretic. assassinatus, c. 1. de homicid. in 6. intrusionis beneficii. c. eum qui. 18. de prebend. in 6. & c.

De facto, non jure: Spoliatione; sed tum beneficium spoliato debet restitui, non in alium conferri. c. 2. & c. 4. cum sim. de his quæ vi met. caus. fiunt.

Ita quidem generaliter: Jure tamen singulari aliquando recepta beneficiorum, antequam vacent, concessio: Sic summus Pontifex, ut olim literas expectativas, c. eam te. 7. c. constitutus. 19. c. literis. 39. cum simil. de rescript. ita nunc (ut tit. præced. diximus) rectè mandata, de providendo ad beneficia vacatura, dat. c. mandatum. 38. cum 2. seqq. eod.

Quæ tamen, ut odiosa, strictè explicantur. c. fin. c. cum in illis. 16. c. cum de beneficio. 5. c. cui de non. 27. de prebend. in 6. Clem. 1. eod.

De prohibita beneficiorum pluralitate.

T I T. XXXI.

Quod supra diximus acquisitione beneficii secundi, prius esse vacans, patitur distinctionem. Aut enim beneficia sunt, supremam dignitatem annexam habentia; ut *Archiepiscopatus*, *Episcopatus*, &c. Aut dignitatem inferiorem: ut *personatus*, & beneficia curam animarum habentia: Aut sunt simplicia; ut *omnia alia*.

Si sunt supremam aut inferiorem dignitatem annexam habentia; assumendo secundum, sine auctoritate Papæ; utrumque, cum ea; primum ipso facto vacat: *c. quanto. 3. de translat. Episc. c. conquereute. 6. de cleric. non resident. proinde alii conferri possunt. c. quia in tantum. 5. de præbend. & c. ordinarii. 3. de offic. ordin. in 6.*

Si ea possidens pertinaciter retinere contenderit, ad aliud quodcunque beneficium Ecclesiasticum admitti, ut indignus, non potest. *Extr. Execrabilis. c. cum singula. 32. in princ. de præbend. in 6.*

Nisi posterioris beneficii fructus percipere non possit, puta quia alicui ad certum tempus concessum, tum enim primum quod habebat, vacare non censebitur. *c. si tibi concessio. 26. ubi Gl. eod. in 6.*

Simplicia si sunt beneficia; rursus distinguendum: Aut sunt *compatibilia*: qualia sunt (ut vocant) sine titulo, aliàs velut *Commendata*; ob quorum scilicet possessionem quis numero Clericorum illius Ecclesiæ, in qua est beneficiatus, non adseribitur. *c. 3. & c. fin. 21. qu. 1.* Aut non sunt *compatibilia*, sed intitulata; ut sunt Ecclesiæ rurales sine cura, vel præbendæ alicujus Ecclesiæ collegiatæ vel cathedralis.

Illa quis plura simul habere potest, nisi privilegio, statuto, consuetudine, prohibeatur; non *Hæc. Panorm. in c. cum jam dudum. 18. de præbend. & Gl. in c. dudum. 54. de election.*

Sed

Sed hæc quidem ita obtinent de jure communi; super quo potest dispensare Pontifex solus, si sint beneficia dignitatem annexam habentia; & Episcopus, si utrumque vel alterum eorum sit simplex; modo causa justa subfit.

Ea est personæ dignitas, integritas, scientia, plurimarum rerum usus, nobilitas, utilitate & Ecclesiæ necessitate hoc exigente. *Abb. in c. extirpanda. 30. §. quia verò. num. 43. vers. ex his de præb.*

Ut unus plura beneficia habere non potest, ita nec plures unum. *c. majoribus. 8. c. tua fraternitatis. 20. c. dilecto. 25. de præbend.*

Potest tamen beneficium, si ita sit opulentum, ut duobus victum præbere commodè possit, in duas scindi partes. *c. vacante. 26. eod.*

De Institutionibus.

TIT. XXXII.

HActenus de beneficiorum *Collatione*; restat, ut de *Institutione*, non multum à collatione discrepante loquamur.

Est ea, beneficii juri patronatus subjecti, ad præsentationem patroni, facta translatio.

Instituere possunt Episcopus, Sede vacante Capitulum. *c. 1. de concess. præb. in 6. Abbates Delegati, & omnes jus illud ex consuetudine habentes. Hostiens. §. quis possit. hic.*

Institui possunt personæ idoneæ, nobiles, ignobiles; nullâ contrariâ obstante consuetudine. *c. venerabilis. 37. de præbend.*

Fieri debet Institutio ad præsentationem Patroni, sive veri, sive putavi. *c. 32. decernimus. & c. 31. filius. 16. qu. 7. sive unius, sive plurium, c. 1. 2. 3. de jure patron.* ita tamen, ut is præferatur, si Patroni dissentiant, qui majoribus meritis & plurium consensu adjuvatur. *Abb. in c. quoniam. 3. eod.*

Præ-

Præsentare possunt unum, vel plures; si unum, qui sit idoneus, cum debet jus instituendi habens admittere, approbare, instituere; *c. illud. 8. eod. c. 32. decernimus. 16. qu. 7.* si plures, de omnibus magis idoneum eligere. *c. quis propter. 42. de elect.*

Factâ institutione institutus nanciscitur jus percipiendi fructus beneficii juri patronatus obnoxii, & potestatem administrandi officium & munus ratione illius beneficii injunctum.

Ordinarii institutio, spretâ patroni præsentatione, facta, non subsistit; ut nec à Patrono propriâ auctoritate facta Institutio valet. *c. 1. 16. qu. 7.*

De jure Patronatus.

TIT. XXXIII.

Ius patronatus est, quod quis Clericus sive Laicus habet in Ecclesia, quam ædificavit, vel dotavit, vel fundavit. *c. nobis fuit. 25. hic. c. 26. pia mentis. 16. & ibi Gl. c. 31. filiis. 16. qu. 7.*

Patronus habet jus præsentandi instituendum ad beneficium vacans. *Gl. in d. can. 26. pia mentis. c. 30. quicumque. §. fin. c. 32. decernimus. c. 33. monasterium. vers. liceatque. 16. qu. 7.*

Dico *vacans beneficium*; quia super vacaturo beneficio, nec præsentatio, nec institutio valet. *c. 2. & c. constitutus. 11. de concess. præb.*

Fieri debet *præsentatio* à Laico patrono intra menses quatuor, ab Ecclesiastico intra menses sex; licet jus patronatus à Laico acquisiverit. *c. un. §. verum. hic. in 6.*

Hic, cum semel aliquem præsentaverit, variare non potest. *Ille potest. c. pastoralis. 29. hic. & d. c. un. in Gl.*

Potest etiam Legatus de latere, in præjudicium patroni Ecclesiastici, juri patronatus derogare; non in præjudicium patroni Laici. *c. cum dilectus. 28. eod.*

Patro-

Patronus seipsum vel liberos suos præsentare non potest; *c. consuluit. 15. c. per nostras. 26. hic.* potest præsentare, ut diximus, unum, vel plures; ut ex iis Episcopus unum eligat. *Clem. plures. 2. §. fin. hic.*

Si plures, ut possunt esse, *c. 1. 2. 3. hic.* sunt ejusdem Ecclesiæ patroni, possunt convenire ut singuli alternis vicibus præsentent. *d. Clem. plures. 2. §. & ut facilius.*

Si hoc fecerint, & in præsentando discordent, præferatur sententia majoris partis. *c. quoniam. 3. hic.* Nisi ea sine scandalo præferri non possit. Tunc enim Episcopus pro suo arbitrio aliquem ordinare potest. *d. c. quoniam. 3. §. si autem hoc.* Quemadmodum ordinare debet, patrono intra statutum tempus neminem præsentante; *c. si vero. 12. eod.* aut si quæstio de jure patronatus inter alios orta intra prædictum tempus non finita. *d. c. quoniam. 3. in fin. & c. cum propter. 27. eod.*

Si propter patronorum discordiam Ecclesia administratore caret: cessatur in ea à Divinis, tolluntur reliquiæ, ostia clauduntur; si quidem aliter Ecclesiæ sine scandalo provideri non potest. *c. 1. & 2. eod. c. 36. si plures. 16. qu. 7.*

Factâ præsentatione, institutio debet subsequi: intra quod tempus, legibus non est definitum, sed arbitrio judicis relinquitur. *Abb. c. 2. de concess. præb.*

Cui jûs instituendi, debet præsentatos, si sunt idonei, recipere. *c. significasti. 18. hic.* si non sunt, potest repellere.

An sint idonei, Episcopi est examinare; præsentatis tamen electis seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum, exceptis; qui non examinandi. *Concil. Trid. cap. 9. vers. ad hac liceat. sess. 25. de reformat.*

Potest Episcopus in Ecclesia juris patronatus Laïci, OEconomum ex causa, puta si minus idonei præsententur, vel alia ex causa eos instituere non valeat, ponere, qui fructus in Ecclesiæ utilitatem erogandos, aut his qui quandoque

que instituentur, reservandos, colligat. *c. cum vos. 4. de offic. jud. ordin.*

Transit jus patronatus ad heredes: *d. c. quoniam. 3. & si plures sint heredes unius patroni, habentur in præsentatione pro uno. d. Clem. plures. 2.*

Potest etiam titulo donationis, *c. ex insinuatione. 14. hic. c. un. eod. in 6. permutationis, Gloss. ad c. cum seculum. 13. hic. Innoc. ad Rub. eod. Host. in sum. vers. qualiter transferatur. per text. in c. 40. nemini. 16. qu. 7. venditionis, cum universitate, d. c. cum seculum. rectè in alium transferri.*

Universitatis nomine veniunt, hereditas, bonorum possessio, *l. item veniunt. 22. §. ait Senatus. ff. de pet. hered. l. 1. ff. quor. bonor. civitas, pagus, castrum, prædium; l. cum fundus. 10. in fin. ff. de legat. 2. adde l. si mercedem. 55. §. 1. ff. de act. emt. in quibus Ecclesia patronata continetur; quæ si in alium transferantur, & jus patronatus illis inhærens una transfertur. arg. d. l. cum fundus. l. in modicis. 24. in fin. ff. de contr. emt. Licet in conductore universitatis oppignoratae diversum obtineat. c. cum Bartholdus. 18. de sent. & re jud.*

Per se, sive separatim, jus patronatus, cum spirituali annexum sit, vendi non potest. *c. de jure. 16. hic. Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. vers. nec dictum. de reform.*

Patronus nihil proprii juris in Ecclesia habet, nec potest ejus redditus in usus suos convertere. *d. c. 26. pia mentis. in fin. c. 27. Frigentius. in fin. 16. qu. 7. c. sicut. 2. de suppl. negl. prelat.*

Potest & debet sollicitudinem Ecclesiæ gerere; & si Rector aliquid ex Ecclesiæ collatis defraudet, eum honestâ conventionem compescere, aut Episcopo vel Judici competentem denunciare. *c. filius. 31. & c. seq. 16. qu. 7.*

Si patronus vel ejus liberi ad inopiam redigantur, competens vitæ subsidium ab Ecclesia ipsis debetur. *c. nobis fuit. 25. in fin. hic. c. 30. quicumque fidelium. 16. qu. 7.*

Sine consensu Patroni Ecclesia vel ejus dispositio non potest

potest mutari. *c. 33. monasterium. c. 34. rationis. 16. qu. 7.*

Patrono debetur præcessionis honos. *d. c. nobis. 25. §. fin. d. c. 26. pia mentis. d. c. 27. Frigentius. in fin.*

Primus enim & eximius in ordine locus, in confessu vel processu, patrono inter Clericos ejusdem Ecclesiæ debetur. *d. c. nobis. 25.*

Cessat jus patronatus: Si patronus jus suum Ecclesiæ contulerit; Si Ecclesiam sine reservatione juris competentis patiatur fieri collegiatam; Si ædes sacræ igne, terræ motu, aut alio vitio, interierint; Si Ecclesia ab infidelibus occupetur; Si patronus sit hæreticus. *c. vergentis. 10. de hæretic.*

De censibus.

TIT. XXXIV.

Patronus à præsentato nihil potest exigere temporale, nisi *censum*, quem cum consensu Episcopi constat in ipsa fundatione esse impositum. *c. præterea. 23. de jure patron. c. sicut. 2. de suppl. negl. prælat. c. 31. filiis. 16. qu. 7.*

Census, est annua pensio, *c. 16. jubemus. in fin. 16. qu. 3.* quæ in argumentum subjectionis præstatur. *c. 2. hic.*

Accipitur duobus modis: vel *generaliter*; pro omni pensione, quæ Prælati de Ecclesiasticis proventibus singulis annis præstatur: *c. olim causam. 20. c. cum canonicis. 26. hic. c. 4. quasitum. 1. qu. 3. vel specialiter*; pro ea pensione, quæ Episcopo ab Ecclesiis in argumentum subjectionis tribuitur; *Cathedraticum*, eò quod ob honorem Cathedralis solvatur, dicta. *c. 3. 10. qu. 1. & c. conquirente. 16. de offic. ordin.*

Constituere censum novum, veterem augere, ex justa causa potest Episcopus, cum consensu Capituli; *Clem. fin. de reb. Eccles. non alien. c. 1. hic. in 6.* aut Ecclesiæ, cui imponitur, si collegiata: *c. 1. de rer. permutat.*

Novum Patronus, auctoritate Episcopi. *c. praterea. 4. de jure patron.*

Constitui potest in rebus ad Ecclesiam pertinentibus, quæ fructus & redditus ex se producere aptæ sunt; & non tantum in nummis, sed etiam frumento, vino, oleo, capis, gallis, pullastris, & aliis id genus annuis. *c. cum canonicis. 26. c. ex parte. 18. hic.*

Debet esse moderatus; ut non majorem tertiâ partem beneficii deducat: id est, ut quantitas fructuum, quæ ex beneficio in pensionem detrahitur, tertiæ partis redditus beneficii onerati summam non excedat: ut post eum solutum tantum beneficiato remaneat, unde commodè possit vivere, jura Episcopalia solvere, beneficii onera ferre. *c. de monachis. 12. c. vacante. 26. c. cum causam. 36. de prabend. c. 1. hic.*

Constituitur vel tempore *fundationis*, aut *donationis*, ob remunerationem; vel tempore *consecrationis*, aut *immunitatis indulta*, in signum subjectionis.

Censu constituto, nascitur obligatio; cujus vigore census debetur, & rerum censualium annua perceptio.

Censum qui debet, si neget, actio nascitur in factum, aut interdictum recuperandæ vel retinendæ possessionis. *Specul. de censib. §. 1.*

De exactionibus.

T I T. XXXV.

Censui valde affines sunt, *Exactio*, *Procuratio*, *Canonica portio*.

Exactio, hoc loco; vocatur gravamen, quod extraordinem, ratione personæ, facultatum, negotii, vel alterius cujusdam rei gratiâ ex justa causâ imponitur.

Fieri debet rei licitæ modo, & lege vel consuetudine permissis. *c. ea qua. 12. c. innovamus. 10. de censib. & exaction.*

Modum si Exactores excedant, officio privantur. *d. c. ea qua.*

ea qua. &, nisi desistant, excommunicantur. *d. c. innovamus.*

De procurationibus.

TIT. XXXVI.

Procuratio, est necessariorum sumtuum exhibitio, Prælati Ecclesias subjectas visitantibus facta. *c. cum Apostolus. 6. c. ea qua. 12. de censib. & c.*

Eam debent, qui invisuntur, licet ad alium locum è domo sua sint evocati: *Gl. in c. 1. vers. visitatus. de censib. in 6. ubi Inn. Host. oratoria, ordinarium Sacerdotem habentia; c. 12. placuit. & c. 11. Episcopum. 10. qu. 1. Innoc. in c. fin. de censib. capellæ in collegiatis Ecclesiis positæ; Maria. in tract. de visit. n. 85. vers. 5. monasteria; d. 1. & fin. de censib. in 6. non Laici suo nomine; Sacerdotis Parochi nomine, si is sit inops, tenentur. Gl. in d. c. 1. vers. laicos. & in d. c. 12. placuit. 10. qu. 1.*

Debetur non minus Episcopo, ubi civitatis ipsius Ecclesias circuit, quàm si extra urbem positas remotasque inviseret; quia non tantùm in victus necessitatem, sed & in subjectionis & obedientiæ signum præstanda. *c. venerabili. 24. ubi Abb. no. 2. de censib.*

Tamdiu dari debet, quoad visitationis officium est perfectum.

Debet esse moderata, habitâ personæ & dignitatis visitantis; *c. cum Apostolus. 6. eod. c. 1. §. procurationis. eod. in 6. & opum ejus qui visitatur, Gloss. in d. c. cum Apostolus. verb. sumtuosus. & consuetudinis, ratione. Ioann. Andr. Goffr. in c. cum secundum. 16. de præbend.*

Solvi olim poterat in pecunia, *Gloss. in c. felicis. 3. verb. concedimus. de censib. in 6. per c. 11. relata. 10. qu. 1. & c. 9. relatum. 13. qu. 3. quod postea vetitum; c. 1. §. procurationes. de censib. in 6. deinde rursus permissum. c. felicis. eod. in 6.*

Visitator non nisi unam, licet plura loca visitet, eadem die accipere potest. *d. c. felicitis. 3.*

Si Ecclesia visitata procurationi solvendæ sola non sufficiat, vicinarum Ecclesiarum suppetiis pro cuiusque Ecclesiæ redditibus utetur; *c. cum instantia. 1. & c. procurationes. 23. eod. Clem. 2. de censib. ubi Imol.* si nullis vicinorum symbolis, aut paucis adjuvari possit, visitantis erunt partes suis sumtibus hoc munus absolvere; si modo & ipse hoc præstare possit. *Gloss. Io. And, & alii in d. c. procurationes. 33.*

A procurationis onere immunem se esse nullus subditus præscriptione se tueri potest, *c. cum ex officio. 16. de præscript. d. c. cum instantia. 17. de censib. potest, privilegio Apostolico, c. accedentes. 11. c. cum ex officio. 16. de præscr. d. c. cum instantia. 17. Clem. 1. eod.* Visitatione jam semeleo anno ab eodem Prælato factâ; nec alteram ullâ necessitate urgente; *Marian. tr. de visitat. num. 66. fructuum enormi sterilitate. d. c. relatum. ubi Archidiacon. in Gloss. fin.*

De Canonica portione.

TIT. XXXVII.

Canonica portio est, quæ de relictis, & proventibus Ecclesiæ obvenientibus detrahitur, & Prælati debetur. *Lancelot. hic.*

Est vel *Parochialis*, vel *Episcopalis*.

Illa est, quæ parochiali Ecclesiæ, vel ipsius Curato & Rectori debetur.

Detrahitur ex rebus, sive corporalibus, sive incorporalibus, mobilibus, sive immobilibus, quæ quis ægritudine correptus, in alia Ecclesia quàm in qua officia divina audit & Ecclesiastica percipit Sacramenta, sepulturam sibi eligens, ei reliquit.

Ratio est, ne rectores Parochialis Ecclesiæ, vel ii, quibus cura animarum est commissa, debitis fraudentur subsidiis.

diis. *Clem. 2. & c. cum super. 8. & c. seq. de sepult. c. 23. vobis. 12. qu. 2.*

Est vel quarta pars ejus quod relictum, vel tertia, vel dimidia, si eam legitima consuetudo præfixit. *d. c. cum super. 8. & c. certificasti. 9. eod. d. c. 23. vobis. 12. qu. 2.*

Ea tamen de rebus alteri Ecclesiæ quàm Parochiali relictis non detrahitur; nec si sanus eas reliquit; aut adversâ valetudine laborans pro fabrica, anniversario, pro equis, armis, contra infideles exercendis, vel ad perpetuum cultum divinum. *c. in nostra. 10. de sepult. c. fin. de testam.*

Canonica Episcopalis portio est, quæ de relictis alicui Ecclesiæ pro anima, ab Episcopo, propter onus Episcopale quod ei incumbit, deducitur. *c. requisisti. in princ. 15. de testam.*

Debetur ei, nisi quadragenaria obstet præscriptio, *c. de quarta. 4. de præscript. licet testator expresserit, se velle Ecclesiæ, non Episcopo esse relictum. d. c. requisisti. vers. secus autem.*

Deducit etiam eam Ecclesia, si extraneus, non si propinquus, simpliciter rem aliquam, *d. c. requisisti. §. si verò. Episcopo relinquat. Nisi is expressè voluerit, Episcopi illud esse, non Ecclesiæ: d. c. requisisti. §. si ab extraneo.*

Si quid Episcopo & Ecclesiæ Cathedrali conjunctim legatum, fit inter ipsos Canonica divisio, etiam si testator hoc reliquerit Episcopo, illud Ecclesiæ: nisi testatoris voluntati stare velint. *d. c. requisisti. §. quid si. & seq.*

Ea non fit, si quid Episcopo, cum capellis, monasteriis, & aliis locis conjunctim legatum, sed de ea portionem Canonicam detrahet; *d. c. requisisti. §. secus autem. si quidem simpliciter sit relictum; non si conditione adjunctâ, ut Episcopus suo legato sit contentus. c. officii. & infra. 14. eod.*

Est Canonica Episcopalis portio, quarta reddituum & oblationum.

Reditus enim & oblationes fidelium quatuor in partes dividuntur. Quarum *prima* Episcopo, ejusque familiae, propter hospitalitatem & susceptionem debetur; *Alter* Clericis, pro officiorum suorum sedulitate, distribuitur; *Tertia* fabricae & Ecclesiae religiosisque domibus reparandis impenditur; *Quarta* in pauperes & peregrinos erogatur. *c. 26. concesso. c. 25. Vulturana. c. 30. mos est. c. 23. vobis. c. 28. de reatibus. 12. qu. 2.*

Portio hæc pari passu cum Parochiali ambulat, ut de quibus hæc non detrahatur, nec illa detrahatur.

De Decimis.

TIT. XXXVIII.

Explicatis rebus spiritualibus, corporalibus & incorporalibus, superest ut *de rebus Ecclesiasticis temporalibus* agamus: sed quia *decima, primitia, oblationes*, mixtam quandam inter spirituales & temporales naturam obtinent (jus enim decimandi, primitias, oblationes exigendi, spirituale est, fructus vero ipsi temporales), de his primò tractabimus.

Decima, est quota fructuum, vel lucri portio, Deo debita. *c. parochianos. 14. & c. tua nobis. 26. vers. cum Deo debita. hic.*

Sunt decimæ vel *personales*, vel *prædiales*.

Personales sunt, quæ ex lucro, quod quis suâ industriâ seu negotiatione fecit, deducuntur. *c. ex transmissa. 23. hic.*

Prædiales seu *reales*, sunt, quæ de fructibus, ut frumento, uvis, pomis, sumuntur. *c. ex multiplici. 3. eod. c. cunctis. 41. c. de decimis. 45. cum cc. seqq. 16. qu. 1.*

Inter quas plures sunt differentia. Nam 1. *Prædiales decimas* (Nisi speciali privilegio, *c. ex parte tua ad nos. 10. hoc tit. c. 2. §. pen. eod. in 6. c. quid per novale. 12. de verb. signif. à Papa, d. c. ex parte tua ad nos. non Imperatore, c. tua. 25. hoc tit. concesso, sint exempti) debent Judæi,
*c. de**

c. de terris. 16. eod. c. pen. in fin. de usur. nec non clerici regulares, atque monachi; non decimas personales. c. decimas. 47. 16. qu. 1.

2. *Personales* ei Parochiæ debentur, in qua quis Sacramenta percipit, quamvis alibi lucrum sit factum; *c. ad Apostolicam. 20. vers. noveris. hic. Prædiales* ei Ecclesiæ, in cujus territorio ipsa prædia sita sunt, nisi consuetudine aliud sit introductum. *c. cum sint homines. 18. c. ad Apostolicam. 20. in fin. eod. c. ult. de paræciis.*

3. *Personales* debentur deductis impensis: *Prædiales* præstantur sine deductione impensarum. *c. pastoralis. 28. hic. ut & sine deductione censuum ac tributorum. c. cum non sit. 33. eod.*

Tam *personalibus* quam *prædialibus* commune est, quod impensæ, pro instaurandis rebus, de quibus decimæ sunt solvendæ, factæ, non deducuntur. *d. c. pastoralis. 28. §. nec pro.*

Decimas solvere tenentur regulariter omnes; *d. c. à nobis. 24. hic. nisi sint ab iis solvendis immunes, aut speciali privilegio exempti.*

Immunes sunt Clerici, vel alii Religiosi; *c. novum. 2. eod. c. 45. de decimis. §. fin. c. 46. questi. c. 47. decimas. §. caterum. 16. qu. 1.* Nisi prædia non propriis laboribus, sed per colonos colant; *d. c. questi. in fin. c. ult. in fin. 16. qu. 1.* Nisi sint conjugati, qui ab aliis Clericis spiritualia recipiunt: *d. c. novum. 2. vers. illi profectò. & ibi Gl.* Nisi prædia à Laïcis comparaverint: *d. c. 41. cunctis. §. fin. cum c. seq. c. commissum. 4. c. nuper. 34. hic. c. statuto. 2. §. caterum. eod. in 6.* Nisi prædia conduxerint: *c. dilecti. 8. hic. Nisi prædia sint vetera. c. ex parte. 10. eod.*

De veteribus tamen prædiis decimas Clerici non debent; si sint Cistercienses, Templarii vel Hospitalarii; *d. c. ex parte. vers. sed prædecessor noster. & c. ad audientiam. 12. eod. aliis puta quam sui ordinis Clericis. c. 1. §. caterum. de verb. signif. in 6. & ibi Gl.* Si sint horti veteres. *d. c. ex parte. vers.*

vers. & de nutrimentis. Si novale vetus sit factum. *c. ult. de privileg.*

Est *novale*, ager nunc primùm ad culturam redactus, de quo, quod aliquando cultus fuerit, memoria non extat. *c. 1. de verb. signif.*

Qui speciali privilegio sunt exempti, decimas nec de veteribus, nec novis prædiis solvunt. *d. c. ex parte. d. c. à nobis. 24. vers. nisi à prestatione. hic.* Nisi cum privilegium esset impetratum de immunitate novalium, agatur de decimis novalium tempore impetrati privilegii possessis. *c. dudum. 31. de privileg. c. statuto. 2. in princ. hic. in 6.* Nisi agatur de decimis ante impetratum privilegium promissis. *c. ex multiplici. 3. hic.* Nisi privilegiati per triginta vel quadraginta annos decimas solverint. *c. si de terra. 6. de privileg.* Nisi certis in rebus privilegiati, de aliis conveniantur. *d. c. statuto. §. dioecesani.* Nisi prædia aliena conduxerint. *c. in aliquibus. 32. hic. c. ult. §. fin. 25. qu. 2.* Nisi eorum bona nimium creverint. *c. suggestum. 9. hic.* Nisi Laicus privilegium concesserit. *c. tua. 25. in princ. eod.*

Solus enim Pontifex tale privilegium concedere potest: *c. tua. 26. eod.* non Princeps Laicus; quia ut jus decimandi nequit conferre, ita nec ab obligatione præstandæ decimæ potest eximere. *c. dudum. 31. eod. c. cum & plantare. 3. de privileg.*

Potest privilegium Pontificis, si Ecclesiæ læsionem inferat, revocari. *d. c. suggestum. 9.*

Quia privilegia ita sunt interpretanda, ne cui jus suum, & potissimum Ecclesiæ, auferatur. *c. 1. 21. qu. 1.*

Solvi debent decimæ de fructibus & lucris quarumlibet rerum; *c. ex transmissa. 23. c. pervenit. 5. c. nuncios. 6. c. ex parte. 21. c. non est. 22. hic. c. 4. quicunque. c. 5. omnes. 16. qu. 7.* statim cum collecti sunt fructus; *c. cum homines. 7. eod.* ante censuum ac tributorum solutionem; *c. cum non sit. 33. eod.* aut expensarum in servos, vel mercenarios, pro agris colendis, fructibus colligendis, factarum deductio-

ductionem; *c. tua nobis. 26. eod. iis, quibus debentur; non aliis. c. 4. nullus. 16. qu. 2.*

Sunt, regulariter, decima pars fructuum: Nisi alia sit consuetudo; quæ attendenda. *c. 1. eod. c. quoniam. fin. 16. qu. 1. Clem. si beneficiorum. 2. in princ. eod.*

Si decimæ non solvantur, actio competit confessoria, ad eas petendas; imo detrectans excommunicationis sententiã ad solutionem potest compelli. *c. pervenit. 5. eod.*

De primitiis.

TIT. XXXIX.

Primitiæ, sunt primæ fructuum obventiones, Domino offerendæ, *ut cautum Exod. 22. antequam usibus nostris secundæ deputentur. c. causa Carpensis. 13. de verb. signif.*

Parocho, seu Sacerdoti proprio, *c. 21. doctos. c. 23. moderamine. 16. qu. 1. aut Clericis qui pro offerentibus preces fundunt. c. Ecclesias. §. item cum. 13. qu. 1. d. can. doctos. d. can. moderamine. debentur; licet Deo offerantur. can. 65. revertimini. 16. qu. 1.*

Earum nomine ad summum datur pars quadragesima; ad minimum sexagesima: inter has duas portiones plus aut minus datur, quantum requirit consuetudo, vel quantum libet ei qui solvit. *c. 1. de decim. primit. & oblat. Gloss. ad can. Ecclesias. ad verb. & primitias. 13. qu. 1.*

Sunt primitiæ in dispositione Episcopi. *c. 6. præter hoc. §. deinde. vers. & ut ipsa. dist. 31.*

Debent inter Diaconos & Clericos alios dividi. *Apost. can. omnium. 37. c. manifesta. 39.*

De oblationibus.

TIT. XL.

Oblatio, est voluntaria & spontanea præstatio, quam Christiani Sacerdotibus pro peccatis suis ad altare offerunt. *c. 13. quia Sacerdotes. 10. qu. 1.*

Qui non debent oblationes accipere : fratrum diffidentium ; *c. oblationes. 2. c. neque. 3. dist. 90.* eorum qui pauperes opprimunt ; *d. c. oblationes. & c. eorum. 7. dist. 90.* qui liberos exheredarunt ; *c. ult. in princ. 17. qu. 4.* excommunicatorum , *c. 11. si aliquis. 26. qu. 6. c. Sacerdos. 6. §. pœnitentes. 26. qu. 7.* sacrilegorum. *c. 17. de viro. 12. qu. 2.* invitos ab Ecclesia , ad quam confugerunt , extrahentium , *c. 8. miror. 17. qu. 4.* raptorum , *c. super eo. 2. de raptor. usurariorum , c. quia in omnibus. 3. de usur. meretricum. Gl. in c. oblationes. 2. dist. 90. Gl. ad princ. 14. qu. 5.*

Nec accipere debent oblationes ex rebus turpiter quaesitis. *c. 2. immolans. c. 11. scriptum. 14. qu. 5.*

Modus offerendi , non in certa quantitate consistit , *c. 28. odi. 24. qu. 1.* sed in bona sinceraque offerentis voluntate , *d. c. 28. odi.* in fide Christiana , & caritate. *c. odit Deus. 62. & c. seq. illi offerunt. 1. qu. 1.*

Quod semel Deo oblatum , non revocandum , nec retinendum est. *c. 3. sunt qui opes. cum c. seq. 17. qu. 4.*

Oblata ad dispositionem Episcopi pertinent , sine cuius consensu ab aliis non debent usurpari. *c. 57. in canonibus. c. 59. quia juxta. §. cum ergo. 16. qu. 1.*

Derebus Ecclesie temporalibus, & quando, & quibus solennitatibus alienari possunt.

T I T. XLI.

HActenus de rebus Spiritualibus : consequenter agendum de *rebus Ecclesie temporalibus.*

Circa quas , an , quomodo , & quibus modis alienari possint , considerabimus.

Res Ecclesie regulariter alienari nequeunt ; sive Prælati , sive Capitulum , sive quidam ex Capitulo , sive Prælatorum auctoritate , eas distrahant ; in tantum ut alienantes , nisi res restituantur , excommunicationis sententiam incurrant. *c. si quis. 6. de reb. Eccles. alien.*

Ex

Ex causis tamen justis, & debitis solennitatibus adhibitis, hoc permittitur.

Justæ causæ sunt; 1. *Necessitas aris alieni*; quod ex fructibus Ecclesiæ non potest dissolvi. *c. 2. hoc jus. 10. qu. 2.*
 2. *Pietas*; ut ad redimendos captivos, vel pro alendis pauperibus, tempore caræ annonæ: *c. 68. cum redemptor. c. 71. gloria. c. 70. aurum. 12. qu. 2.* 3. *Utilitas*; ut quia alienatur res quæ servando servari non potest, aut quæ magis oneri est, quam emolumento. *c. 52. sine exceptione. c. 53. terrulas. 12. qu. 2. c. ad aures. 7. de reb. Eccl. alien.*

Res quæ servari non possunt, sine ullis solennitatibus alienari possunt: *d. c. terrulas. Hostiens. in §. quis ex caus. vers. res autem. tit. de reb. Eccles. alien.* quæ servari possunt, sed sunt exiguæ & parum utiles, à solo Episcopo, sine Cleri consensu: *d. c. terrulas.* quæ non tales, non sine solennitatibus requisitis.

Et sunt, ut alienatio fiat cum totius Cleri tractatu, consensu & subscriptione, aut saltem tractatu præcedente, ac Prælato cum Capitulo auctoritatem interponente. *c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. c. 20. non liceat. c. 52. sine exceptione. c. 37. alienationes. 12. qu. 2.*

Quæ si non observentur, alienatio nullius est momenti. *d. c. 1. d. c. non liceat. d. c. sine exceptione. d. c. alienationes.* alienans officio privatur, deponitur, & damnum Ecclesiæ illatum restituere compellitur; *c. 18. monem. c. 35. Diaconi. 12. qu. 2.* recipiens, rem cum omnibus fructibus perceptis restituit; pretium non recipit; regressum tamen adversus alienantem habet. *c. 2. hoc jus porrectum. 10. qu. 2. d. c. aures. c. 25. Vulterana. 12. qu. 2.*

Alienationis vox, hic, non solum dominii translationem, sed & juris alicujus constitutionem complectitur. *c. nulli liceat. 5. de reb. Eccles. alien.*

Proinde alienare hic dicitur; non tantum qui rem vendit, permutat, donat; sed & qui in precarias, emphyteusim, feudum, hypothecam dat.

De quibus omnibus alienandi modis, cum nobis tantum

tum sit propositum explicare ea quæ juris Pontificii inprimis sunt propria, non agemus: sed tantum de precariis; utpote quarum non in jure Civili, sed tantum Canonico fiat mentio, & spectentur tantum in rebus Ecclesiasticis. *Pac. Isag. Decret. tit. de precur.*

De precariis.

TIT. XLII.

Precaria sunt contractus, quo prædium perpetuò vel ad longum tempus fruendum conceditur, *c. 4. precaria à. 10. qu. 2.* ita ut annua pensio præsterur, *ut colligitur ex Nov. Leon. 13.* & de quinquennio in quinquennium contractus renovetur. *c. 1. hic. c. 5. precaria de. 10. qu. 2.*

Pro qua renovatione is qui precariæ nomine tenet, quid solvere tenetur; *Laudemium* Doctores vocant.

Est duplum canonis emphyteutici. *d. Nov. Leon. 13.*

Verti debet in rem Ecclesiæ, non lucro Prælati cedere. *d. Novel. Leon. 13.*

Qui hunc contractum cum Ecclesiæ Oeconomus, ut fieri solet, inquit, pro re Ecclesiæ quam accipit, vicissim rem aliam Ecclesiæ donare debet, usufructu quoad vixerit ad certum tempus sibi retento, ut eo finito proprietas ad Ecclesiam transeat. *d. c. precaria à. 10. qu. 2.*

Differt hic contractus ab emphyteusi, ut species à genere: quoniam emphyteusis dicitur etiam si non debeat singulis lustris renovari; precariæ verò omnino.

Differt à precario: quia hoc tamdiu conceditur, quoad is qui concessit, patitur; precariæ verò pro voluntate concedentis non revocantur, nisi sint irrationabiles. *c. fin. hic.*

*De peculio clericorum, relictis, & successio-
nibus eorum.*

TIT. XLIII.

Sequitur ut videamus de rebus Clericorum propriis, seu de proprio eorum patrimonio, quod, non quatenus sunt Clerici, habent.

Quæ

Quæ ex proventibus Sacerdotiorum conquesta, ejus censentur esse naturæ, cujus Iure Civili bona peculii quasi castrensis.

Ea Clericus in vita sua, prout vult, administrare & distrahere potest; Non autem testamentario vel successorio nomine alicui heredum relinquere. Nisi forsan cui Episcopus, pro servitiis ac præstatione Ecclesiæ, largiri voluerit: *c. si quis sanè. ult. hic.*

Quia de rebus Ecclesiæ, vel Ecclesiæ intuitu quæsitis, testari prohibetur, cum illa Ecclesiæ, unde provenerunt, debeant remanere. *c. 1. de testam.*

Nisi ex privilegio, consuetudine, vel aliâ rationabili causâ, ea ad Clericum pertineant. *c. presenti. §. porro. de offic. ordin. in 6.*

Præsumitur de bonis Ecclesiæ quæsitum, quicquid à Rectore Ecclesiæ, tempore promotionis nihil habente, quæsitum est. *d. c. 1.*

Contra quam præsumtionem admittitur probatio. *can. 21. sint manifesta. 12. qu. 1. c. 1. & 2. caus. 12. qu. 3.*

De his quæ aut paternæ successionis, vel cognationis intuitu, seu consanguineorum vel amicorum munere, respectu non habito ad Ecclesiam, ad Clericum pervenerunt, liberè testari potest. *c. quia non. 9. de testam.*

Si sine testamento decesserit, ea deferuntur cognatis secundum legitimæ successionis ordinem: *c. fin. 12. qu. 5.* Si verò cognatos non habuerit, Ecclesiæ vindicantur. *d. c. fin.*

Si omnia Clerici bona ita sunt confusa, ut quid patrimoniale, vel ab Ecclesia sit, secerni non possit; in quatuor partes ea dividuntur: & una pars Ecclesiæ, altera Episcopo, tertia pauperibus, quarta parentibus idoneis assignabitur. *c. sanct. 2. de success. ab intest.*

In beneficia & alia bona Ecclesiastica nullo consanguinitatis jure succeditur. *c. 1. de præbend. can. 7. Apostolica. 8. qu. 1. c. conquerente. 4. c. presentium. 3. c. ex transmissa. 7. de filis presbyt.* Beneficiati enim tantùm censentur usurarii, vel

vel ad summum usufructuarii. *d. c. presenti. de offic. ordin. in 6.*

Quod diximus, Clericum de rebus patrimonialibus testari posse; non trahendum ad Religiosos tria substantia- lia, scilicet paupertatem, obedientiam, & castitatem, profes- sos: *c. 2. de testam. & c. 11. non dicatis. 12. qu. 1. etiam- si sint Abbates. d. c. & d. can.* Quia qui monasterium in- grediuntur, se & sua Deo & monasterio dedicant. *can. 7. quia ingredientibus. 19. qu. 3.*

Eremitæ tamen, qui nulli monasterio & regulæ se de- dicarunt, testari, quia proprium habent, possunt. *can. perlatum. §. è contr. 19. qu. 3.*

De Testamentis.

T I T. XLIV.

Occasione ejus, quod superiori titulo diximus, Cleri- cum posse de rebus patrimonialibus testari, propria quædam circa materiam testamenti præcepta, jure hoc Canonico, contra leges Civiles introducta, enarrabimus.

Est testamentum novissima voluntas quæ tempore mortis suprema invenitur.

Valet hoc jure coram proprio Presbytero, & duabus vel tribus aliis personis idoneis factum. *c. cum esses. 10. hic. contr. l. 12. C. de testam.*

Qui extremam voluntatem suam in alterius dispositio- nem confert, non decedit intestatus, *c. cum tibi. 13. eod. contr. l. illa institutio. ubi. Gloss. ff. de hered. inst.*

Res aliena legari non potest. *c. filius noster. 5. hic. ubi Abb. contr. §. 4. Inst. de legat.*

Liberi fideicommissio gravati, & legitimam, & quar- tam Senatusconsulto Trebelliano debitam detrahunt. *c. Raynutius. 16. c. Reynaldus. 18. hic.*

FINIS LIBRI SECUNDI.

AR-